M. ANTONII ET L. LICINII CRASSI ORATORVM ROMANORVM FRAGMENTA

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOLOGICA

QVAM CONSENSV ET AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES IN VNIVERSITATE LITTERARVM VIADRINA VRATISLAVIENSI RITE CAPESSENDOS DIE XII MENSIS OCTOBRIS ANNI MCMIX HORA XII IN AVLA MVSICA VNA CVM THESIBVS PVBLICE DEFENDET

MAXIMILIANVS KRVEGER
SILESIVS

ADVERSARII ERVNT
WILLY LEHMANN CAND. PHIL.
BERTHOLD JAEKEL STVD. PHIL.

VRATISLAVIAE
TYPIS R. NISCHKOWSKY
MCMIX

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt
F. Skutsch et **C. Cichorius.**

Examen rigorosum habitum est die XXVIII m. Iulii anni MCMIX.

Haec dissertatio pars est operis de fragmentis oratorum Romanorum ab ordine philosophorum die XXVII m. Ian. huius anni praemio regio ornati, quod me aliquando publici iuris facere posse spero.

FRANCISCO SKUTSCH
CONRADO CICHORIO
S

Conspectus libelli.

Praefatio . . . . 1—10

Caput I. De fontibus . . . . 2— 4

Caput II. De Ciceronis dialogo qui inscribitur „de oratore“ . 4— 5

Caput III. De eloquentia Antonii et Crassi . . . . 5—10

M. Antonius . . . . 11—29

Vita 11

Testimonia . . . . 11—15

Orationes . . . . 15—28

Fragmenta libelli qui inscribitur „de ratione dicendi“ . . . 29

L. Licinius Crassus . . . . 30—56

Vita 30

Testimonia . . . . 31—35

Orationes . . . . 35—56

Praefatio.

Cum ineunte anno 1908 ab ordine philosophorum huius Vniversitatis civibus academicis ut oratorum Romanorum fragmenta aut omnia aut liberae rei publicae colligerentur, recenserentur, explicarentur propositum esset, mihi ut praemium caperem contigit. Cuius commentationis exiguam partem praebeo hanc dissertationem de M. Antonio et L. Licinio Crasso oratoribus[1]), qua me ad suscipiendam novam oratorum Romanorum editionem quam adhuc deesse summopere dolemus pauca collaturum esse spero[2]). Sed antequam de ipsis Antonii et Crassi orationibus et fragmentis disseram, in universum de illorum eloquentia et de fontibus verba faciam.

---

[1]) Commentationum quae exstant de his oratoribus Soederholmii (de M. Antonio et L. Licinio Crasso oratoribus Romanis, Helsingforsae 1853), qui de utriusque ratione dicendi egit, nihil valet; Oette autem (de L. Licinio Crasso, Lips. 1873) et Enderlein (de M. Antonio oratore, Lips. 1882) et constiterunt in enarranda vita et erraverunt saepissime. Klebsii quoque de M. Antonio commentatiunculam (Pauly-Wiss. I. 2590, No. 28) hic illic correxisse mihi videor.

[2]) Duae exstant editiones: oratorum Romanorum fragmenta ab Appio inde Caeco et M. Porcio Catone usque ad Q. Aurelium Symmachum collegit atque illustravit Henricus Meyer, Turici 1832; ed. 2 : 1842; cui editioni egregiae et diligentissimae cum multa addenda sunt, tum argumenta et anni saepissime corrigenda sunt; accedit quod ipse oratorum numerus valde augendus est — ipse oratores liberae reipublicae collegi 270, Meyer 105. — Altera editio (oratorum Romanorum reliquias recensuit et praefatus est I. Cortese, August. Taur. 1892) et lacunis et vitiis abundat. Alia editio exstat nulla; nam quamquam Cima scripsit (l'eloquenza latina prima di Cicerone, Romae 1903, p. IV): „la seconda parte del mio lavoro, che è già pronta per la stampa e uscirà in seguito (sc. fragm. editio)", editio nondum prodiit. — Ac ne historiis criticis quidem quae exstant eloquentiae Romanae multum laudis tribuendum est: nam Westermanni (Geschichte der römischen Beredsamkeit, Lpzg. 1835) et Fr. Ellendtii (Brevis eloquentiae Romanae ante Caesares historia, in

Caput I. De fontibus.

In tractandis Antonii et Crassi vitis orationibusque longe omnium gravissimus auctor est Cicero; nam eius libri rhetorici uberrimum quendam fontem praebent. Itaque de eius solius fide pauca verba faciam, de ceterorum scriptorum libris, maxime Lucili, Plinii, Valerii Maximi, quaecunque dicenda sunt, suo loco afferam.

Ac primum quidem Ciceronem egregium auctorem esse statuendum est; nam primum utrumque oratorem audiverat[1]), deinde puer in Aculeonis, propinqui sui, domo Crassum saepissime viderat optimeque noverat[2]), tum Crassi paucae orationes in Ciceronis manibus erant[3]), Antonii extabant argumenta[4]). Aliud testimonium adiecit Hirzel[5]); nam comparans Cic. ad fam. VI 2, 2 (ad A. Torquatum a. 45): . . . *sin omnino interierint omnia fueritque is exitus, quem vir prudentissimus, M. Antonius, iam tum timebat, cum tantum instare malorum suspicabatur, misera est illa quidem consolatio, tali praesertim civi et viro, sed tamen necessaria, nihil esse praecipue cuiquam dolendum in eo, quod accidat universis* cum Cic. de or. I 26: *Hi* (sc. Antonius, Crassus, C. Cotta, P. Sulpicius,) *primo die de temporibus deque universa republica, quam ob causam venerant, multum inter se usque*

editione Ciceronis „Bruti“, Regimontii 1844) historiae iamdudum obsolverunt. Berger-Cucheval (histoire de l'éloquence latine depuis l'origine de Rome jusqu' à Cicéron, Paris 1872) librum suum „historiam criticam“ esse ipsi negant (préf. p. XIV sq.: „une oeuvre d'un genre intermédiaire“); ac ne Cimae quidem multum laudis tribuendum est (l'eloquenza latina prima di Cicerone, Romae 1903); nam et multas commentationes neglexit et parum critice se gessit multisque in rebus gravissime erravit; cf. p. 19, adn. 7; p. 32, adn. 1 ex. etc. Soli Tartarae commentationi (i precursori di Cicerone, Pisis 1888) magna laus tribuenda est, quamquam in ea quoque permulta corrigenda sunt: qui eloquentiam non solum cum ceteris litteris crescentem diserte descripsit, sed etiam res Romanas quomodo litteras aut in bonam aut in malam partem mutaverint, bene disseruit. Non praesto mihi sunt: Demarteau: l'éloquence républicaine de Rome d'après les fragments authentiques, Mons 1870, et Amatucci: Studi latini. L'eloquenza latina nei primi cinque secoli di Roma, Benevento 1893.

1) Cic. Tusc. II 57; de or. III 16, ad Quint. fratr. III 6, 1; cf. p. 27.

2) Cic. de or. II 2. 3) Cf. p. 35 sq.

4) Cf. p. 15 sq. 5) Dialog, I 484.

ad extremum tempus diei collocuti sunt. Quo quidem sermone multa divinitus a tribus illis consularibus Cotta deplorata et commemorata narrabat, ut nihil incidisset postea civitati mali, quod non impendere illi tanto ante vidissent non facies quin huic Hirzelii sententiae accedas: „. . . ad fam. VI 2, 2; denn die Äußerungen des M. Antonius, auf die hier Bezug genommen wird, finden sich nicht, wie Manutius und, wie es scheint, auch spätere Herausgeber meinten, de or. I 26; wohl aber scheint die letztere Stelle dieselben Äußerungen des historischen M. Antonius im Auge zu haben wie der Brief."

Antonii vero libellum qui inscribitur „de ratione dicendi"[1]) Ciceronem non solum legisse, immo etiam cum dialogum qui inscribitur „de oratore" conderet inspexisse — quamquam libellum parvi aestimasse eum constat[2]) —, elucere mihi videtur ex hoc Ciceronis loco: de or. I 208: (Antonius loquitur:) . . . *neque enim sum de arte dicturus, quam nunquam didici, sed de mea consuetudine; ipsaque illa, quae in commentarium meum retttuli, sunt eius modi, non aliqua mihi doctrina tradita, sed in rerum usu causisque tractata*[3]). Quintilianum quoque libellum legisse docent fragmenta, cf. p. 29.

Accedit quod cum omnino Cicero in colligenda materia locisque afferendis magna diligentia utebatur[4]) tum anno 55 cum permulti essent qui Antonium et Crassum novissent, Ciceroni ne quid falsi de illis oratoribus memoriae proderet, valde cavendum erat; cuius rei ipse inscius non erat; nam scripsit (de or. II 9): . . . *non de Ser. Galbae aut C. Carbonis eloquentia scribo aliquid, in quo liceat mihi fingere si quid velim nullius memoria iam me refellente, sed edo haec iis cognoscenda, qui eos ipsos,*

---

1) De eo cf. p. 7, 12. 2) Cf. p. 7.

3) Idem sentit Hirzel (Dialog, I p. 482 adn. 3e). Neque vero cum eo facio de disputatione illa rhetorum et philosophorum Graecorum, cui se interfuisse dicit Antonius (I 82—94): eam enim in exordio libelli sui oratorem nostrum narrasse coniecit vir doctus (l. c.). Equidem in ea re sic sentio, ut quamquam eiusmodi disputationes nobiles Romani iam dudum in Graecia et Asia audisse nemo negabit, tamen disputationes de quibus verba facientes in dialogo qui inscribitur „de oratore" Cicero induxit Antonium (l. c.), Crassum (I 45 sqq.; 57; 93), Scaevolam (I 75), quin omnes fictae sint, non dubium esse mihi videatur, nam quis est qui tam parvas, tam usitatas res memoriae proditas esse putet?

4) Cf. exempli causa Brut. 99.

de quibus loquor, saepe audierunt; ut duos summos viros iis qui neutrum illorum viderint, eorum quibus ambo illi oratores cogniti sint, vivorum et praesentium memoria teste commendemus.

Caput II. De Ciceronis dialogo qui inscribitur „de oratore“.

Postquam Ciceronem in describenda Antonii et Crassi vita atque eloquentia optimum auctorem esse didicimus, de eiusdem Ciceronis dialogo qui inscribitur „de oratore“, cum longe uberrimum fontem praebeat, pauca verba facienda sunt. Ac primum quidem quo consilio inductus Cicero dialogum scripserit quaeritur: qua in re non facio cum Marxio[1]) et Nordeno[2]) qui Arpinatem illo dialogo rhetores qui dicuntur Latinos petisse existimant; quam sententiam satis refutavit Kroll[3]) ipse sic disputans[4]):

„Überhaupt wird man stets in die Irre gehen, wenn man nach einer »Tendenz« unsrer Schrift forscht[5]); sie enthält eine solche ebenso wenig wie die philosophischen Dialoge, sondern ihre Absicht ist gewisse Anschauungen zu verbreiten, vor allem die, daß ein guter Redner nicht mit den Schulregeln auskommt, sondern einen weiteren Blick und umfassendere Kenntnisse besitzen muß“. Equidem totus hanc Krollii sententiam amplector. Iisdem verbis refutanda est sententia Hirzelii qui Asianos qui dicuntur rhetores petere Ciceronem in animo habuisse coniecit[6]).

Primae dialogi partes Antonio et Crasso tributae sunt; sed cum, ut exemplum afferam, in Academicorum priorum libro I Catulus minor non Ciceronis (vel ut rectius dicam eius auctoris Graeci), sed sui patris de Carneadis scepsi praecepta referat[7]),

---

[1]) In prolegomenis ad editionem incerti auctoris ad C. Herennium, Lipsiae 1894, p. 141 sqq.

[2]) Eduard Norden, Die antike Kunstprosa, ed. 2, Lipsiae 1909, p. 222 sqq.

[3]) Rh. M., LVIII, p. 552—597: Studien über Ciceros Schrift de oratore, p. 552 sq.

[4]) L. c. p. 553.

[5]) Similiter R. Reitzenstein (Scipio Aemilianus und die stoische Rhetorik, in Straßburger Festschrift zur XLVI. Philol. Versammlung, 1901, p. 145): „Die Tendenz des ‚Brutus' — wenn man solch mißverstandenes und mißverständliches Wort überhaupt noch gebrauchen darf . . .“

[6]) Dialog, I 483, adn. 1.

[7]) Cf. R. Buettner, Porcius Licinus und der literarische Kreis des Q. Lutatius Catulus (Lpzg. 1893), p. 144 sqq.

in hoc dialogo nil Antonii aut Crassi, omnia Ciceronis eiusque auctoris Graeci, Antiochi Ascalonitae, sunt[1]), quem Cicero hieme a. 79/78 audiverat[2]).

Nil de eiusmodi sermonibus inter Antonium et Crassum habitis constat[3]), immo et ingenium et humanitatem utriusque valde auxit Cicero[4]) eo consilio, ut Antonium oratorem summa dicendi facultate natura praeditum artisque omnis fere expertem quam clarissime opponeret Crasso, ‛τῷ πολιτικῷ ῥήτορι’[5]), oratori disertissimo omnibusque artibus et philosophorum praeceptis imbuto[6]). Quamquam eo Ciceronis consilio vera horum oratorum eloquentiae imago haud paulum obscurata est, tamen non modo quae Cicero de Antonii et Crassi studiis rhetoricis[7]) exercitationibus, itineribus in Graeciam et Asiam tradidit, vera sunt, sed etiam utrique partes tribuit eas, quae cum utriusque dicendi-genere atque humanitate congruunt; ut exemplum afferam, Antonium de memoria[8]) et de actione[9]), quibus praeter ceteros omnes eum floruisse constat, verba facientem induxit[10]).

Caput III. De eloquentia Antonii et Crassi.

Quam multi . . . iam oratores commemorati sunt, et quam diu in eorum enumeratione versamur, cum tamen spisse atque vix, ut dudum ad Demosthenem et Hyperidem, sic nunc ad

---

[1]) Nam illi — non Philoni Larissensi, id quod voluit J. ab Arnim (Leben und Werke des Dio von Prusa, Berlin 1898, cap. I: Sophistik, Rhetorik, Philosophie in ihrem Kampf um die Jugendbildung, p. 97 sqq.) eumque secutus Wilamowitz (Hermes 35, p. 18, adn. 3.) — plurima „de optimo oratore“ praecepta Ciceronem debere persuasit mihi Kroll (l. c. p. 552—76).

[2]) Cic. Brut. 315; de fin. V 1.

[3]) Nam fictum Cottae testimonium (de or. I 4, 26, 29; III 16, 17.) nihil valere nemo negabit. — De Antonii libello a Cicerone in scribendo dialogo adhibito vide p. 3.

[4]) Cf. Kroll (l. c. p. 585, adn. 2): „. . . Cicero hatte dem Crassus und Antonius eine feinere Bildung zugeschrieben, als sie tatsächlich besessen hatten; das war das gute Recht des Dialoges . . .“

[5]) Philod. II 226, col. XX. S. [6]) Cf. cap. III.

[7]) Paucis exceptis: cf. p. 3, adn. 3 et p. 32, adn. 2.

[8]) De or. II 350 sqq. [9]) De or. II 182 sqq.

[10]) „Ἦθος“ illud ut servaret Ciceronem etiam addidisse parvas res docet Kroll, l. c. p. 552 (edictum censorium, de quo cf. p. 32, adn. 1) et p. 579, adn. 3: „In (de or. III) 122 mag der Gorgias und das aus § 108 wiederholte Motiv

Antonium Crassumque pervenimus! nam ego sic existumo, hos oratores fuisse maximos et in his primum cum Graecorum gloria Latine dicendi copiam aequatam[1]). — Illam primam eloquentiae ἀκμήν Romani postquam Graecorum ars rhetorica apud eos invaserat, mira quadam celeritate assecuti erant; id effectum est cum quod *praemia eloquentiae*[2]) quo magis aucta est potentia populi Romani, eo maiore cupiditate petebantur, tum perpetuis discordiis domesticis causarumque et publicarum et privatarum multitudine in dies crescente[3]). Ita factum est ut exculta iam esset atque polita omnibus artis rhetoricae ornamentis oratio temporibus C. Gracchi Papiriique Carbonis; quod optime probatur exemplis quae collegit atque illustravit Nordenus, l. c. p. 164 sqq.; illi autem usque ad C. Gracchi tempora oratores — id quod et Ciceronis libris rhetoricis et fragmentis probatur — in causis publicis et contionibus plurimum versabantur[4]), sed tum causarum numero magis magisque aucto et iudiciorum forma et consuetudine mutata[5]) eloquentia forensis ut principem locum teneret brevi factum est: tum coeperunt adulescentes ut et *aliquo insigni iudicio civibus suis noscerentur*[6]) hominem reipublicae periculosum populoque invisum accusare et defensionibus crebris populi gratiam in petendis honoribus sibi conciliare. Cuius eloquentiae f o r e n s i s primam ut supra dixi ἀκμήν assecuti sunt hi Antonius et Crassus; nam utrumque in rebus publicis non nimium, in iudiciis valuisse plurimum ante omnia in animo atque pectore habeas.

---

ein Zusatz Ciceros sein, gemacht, um das richtige Ethos für Crassus zu gewinnen; denn . . .“, vide p. 9, adn. 1. — Cf. et de or. III 75.

1) Cic. Brut. 138.

2) Cic. pro Cael. 46; cf. de or. I 14 sq.; Sall. Cat. 8; Suet. de rhet. 1; Liv. X 19, 22; Tac. dial. 36.

3) Cic. Brut. 106. . . . eoque (sc. C. Papirio Carbone cos. 120) forum tenente plura fieri iudicia iudicia coeperunt; Tac. dial 36, 38.

4) Eae orationes solae quae scriberentur dignae iudicabantur, cf. p. 16, adn. 1.

5) Cic. Brut. 106: eo (sc. Carbone) forum tenente plura fieri iudicia coeperunt, nam et quaestiones perpetuae hoc adulescente constitutae sunt quae antea nullae fuerunt; L. enim Piso (cos. 133) tribunus plebis (a. 149) legem primus de pecuniis repetundis . . . tulit . . . et iudicia populi quibus aderat Carbo iam magis patronum desiderabant tabella data; quam legem L. Cassius . . . tulit (a. 137; de lege Cassia cf. Pauly-Wiss. III 1742); Tac. dial. 38.

6) Apul. ap. c. 66.

Quod maxime dicendum est de Antonii eloquentia: nam illum quasi exemplum perfecti oratoris forensis existimari velim: in rebus publicis, quamquam cum Catulis Crassisque familiaritate coniunctus erat[1]), satis raro versabatur; neque cum magistratibus fungeretur, quicquam memoria digni perfecit[2]) neque in magnis illis reipublicae motibus praeter ceteros floruit; nam quod anno 112 ut populi gratiam sibi pararet, Carbonem accusavit[3]), anno 100 una cum ceteris nobilibus contra Saturninum dimicavit[4]), anno 89 lege Varia accusatus[5]), anno 87 a Marianis crudeliter necatus est qui illius aetatis homines nobiles, similia non perpessi sunt? In foro autem iam a puero versabatur neque unquam eximiam facultatem qua praeditus erat excolere atque exercere desinebat. Graecas autem litteras *sero ac leviter*[6]) attigit, neque philosophorum praeceptis quamquam eos audisse se dicit[7]) imbutus erat; ac cum ne de ceterarum quidem artium studiis quicquam nobis traditum sit, eius doctrina sane levis parumque profunda erat; ipse eius libellus — quamquam post Catonem primus eius modi librum edidit[8]) — imperfectus et exilis erat parvique aestimabatur a Cicerone et Quintiliano[9]); orationes suas non scripsit[10]). In iudiciis autem versabatur innumerabilibus[11]) suscipiebatque causas quasvis, quamobrem Cicero[12]) et Valerius Maximus[13]) *solitum esse dicere Antonium idcirco se nullam unquam orationem scripsisse, ut si quid aliquando non opus esset ab se esse dictum posset negare dixisse* memoriae tradiderunt.

Longe alius orator atque M. Antonius ille „forensis“, quem solam indolem quandam eximiam exercitationemque dicendi ad summum eloquentiae gradum adduxisse supra docui, est L. Lici-

---

1) De or. I 24, aliisque locis.

2) De Sex. Titii tr. pl. tumultibus cf. p. 21 sq.

3) Cf. p. 17 sq. 4) Cic. pro Rab. perd. 26. 5) Cf. p. 27.

6) De or. I 82. 7) Cf. p. 13.

8) Quint. III 1, 19: Romanorum primus condidit aliqua in hanc materiam Cato ille Censorius, post M. Antonius inchoavit; namque id solum opus eius atque id ipsum imperfectum manet.

9) Cic. Brut. 163: Vellem aliquid Antonio praeter illum de ratione dicendi sane exilem libellum libuisset scribere . . .; de or. I 94 (Antonius loquitur): . . . libello qui me imprudente et invito excidit; Quint. l. c.

10) De or. II 125; cf. p. 15 sq. 11) Cf. p. 15.

12) Pro Cluentio 140. 13) VII 3, 5 (ex Cicerone).

nius Crassus: nam et in re publica multum versabatur[1]) et favebat magnopere Graecis litteris idque una cum Q. Lutatio Catulo, familiare suo, qui quam dignus heres fuerit praeclarae illius humanitatis a Polybio, Panaetio, Laelio, Scipione Aemiliano excultae[2]), docet Ricardus Buettner, l. c. p. 132—142. Graecis scriptoribus Crassus utebatur in exercitationibus[3]), Ciceronem puerum ut idem faceret monebat[4]), rhetores qui dicuntur Latinos censor anno 92 Roma eiecit[5]); favebat poetis[6]), emebat pretiosas columnas et arbores[7]), omnino studiosus erat exculti et luxuriosi victus. Coniunctae erant cum variis illis artium studiis[8]) plurimae exercitationes, summa industria, summa eloquentia[9]). Quae cum ita essent, ad hunc Crassum, quem puer summopere admiratus erat, Ciceronem in eo dialogo, quo de perfecto oratore agitur, amplissimas partes detulisse quis est qui miretur? In eodem autem dialogo ut Crassi humanitatem multo maiorem redderet factum esse et supra iam docui et Cicero ipse sic scripsit (de or. II 1): *Magna nobis pueris, Quinte frater, si memoria tenes, opinio fuit L. Crassum non plus attigisse doctrinae quam quantum prima illa puerili institutione potuisset, M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum fuisse* et altero loco (Brut. 161 e): . . . *quod* (sc. quo

---

[1]) Cf. p. 30.

[2]) Quam egregie descripsit R. Reitzenstein (Festschrift . . . p. 143—162; et „Werden und Wesen der Humanität im Altertum", Rede zu Kaisers Geburtstag, Straßburg 1907, p. 7 sqq.).

[3]) Cf. p. 31.

[4]) De or. II 2; — ea quoque quae Scipiones de optima republica cogitarant Ciceronem hic Crassus docuit, cf. Zielinski, Cicero im Wandel der Jahrhunderte, ed. 2. Lipsiae 1908, p. 341 sq; R. Reitzenstein, Werden und Wesen . . . p. 16.

[5]) Cf. p. 32. [6]) Cf. p. 33. [7]) Cf. Plin. n. h. XVII 6, XXXVI, 7.

[8]) Artis grammaticae cuius qui flos Romae illis ipsis temporibus fuerit docent studia Aelii Stilonis, Catuli, Lucili (cf. F. Mentz, de L. Aelio Stilone in commentat. philol. Ienens. IV 1, Buettner, l. c. p. 185 sqq., Marx, proll. ad inc. auct. ad. C. Her. p. 96), hic Crassus studiosus fuisse non videtur; probabat autem valde latinitatem sermonis (de or. III 46), cui Stoicorum praecepta secuti (cf. Reitzenstein, M. Terentius Varro und Johannes Mauropus v. Euchaita, Lipsiae 1901, p. 31 sqq.) studebant Scipio Aemilianus, Laelius ceterique et quam expoliebant Catulus, Lucilius aliique illius aetatis viri (cf. Buettner l. c. p. 160 sqq.).

[9]) Cf. p. 31 sqq.

anno suasisset Crassus legem Serviliam, cf. p. 37 sq.) *idcirco posui, ut dicendi Latine prima maturitas in qua aetate exstitisset posset notari et intellegeretur iam ad summum paene esse perductam, ut eo nihil ferme quisquam addere posset, nisi qui a philosophia, a iure civili, ab historia fuisset instructior*[1]). Fuit igitur Crassus, ut iam supra dixi, quamvis magnus „orator philosophicus" secundum Ciceronis dialogum fuisse videatur — non aliter atque Antonius excellens eloquentia maxime forensi et rhetorum magis quam philosophorum praeceptis imbutus. Quam gravissimam rem ut dilucide cognoscas, compares velim quae et de hoc Crasso et de Q. Lutatio Catulo scripsit Cicero in dialogis qui inscribuntur „Brutus" et „de oratore"; nam de Crassi studiis philosophicis cum in „de oratore" verba faciat plurima, in „Bruto" extat nihil. Id eo magis memorabile est et quod Cicero in „Bruto" de aliorum oratorum studiis philosophicis quaecunque invenerat memoriae prodidit et quod, quantum valuerint in eloquentia apud Graecos et posterioris aetatis Romanos praecepta philosophorum nemo nescit[2]). Catuli studia, qui quam constanter defenderit Carneadis scepsin cum Philo Larissensis falsas quasdam sententias ei supposuisset, egregie docet R. Buettner, l. c. p. 144—159, et qui in libro „de oratore" princeps in rebus philosophicis ab omnibus existimatur, Cicero in „Bruto" summis laudibus extulit (132): . . . *iam Q. Catulus, non antiquo illo more, sed hoc nostro vel si quid fieri potest perfectius, eruditius. Multae litterae* e. q. s.[3]) Accedit quod Crassus Hegesiam, qui philosophorum studia plane contempsit, secutus est[4]); ac tantum afuit ut orationi nobile illud munus concederet, quod ei tribuerant Panaetius, Laelius,

---

[1]) Kroll, l. c. p. 579 adn. 2. „. . . denn (cf. p. 5 adn. 10) Cicero war sich, wie die Einleitung zu II beweist, ziemlich klar darüber, daß Crassus viel mehr Praktiker und viel weniger Theoretiker gewesen war, als er ihn hinstellte"; cf. et p. 585 adn. 2.

[2]) Cf. Arnim, l. c. cap. I.

[3]) Lucilius quoque poeta oratorem summa humanitate excultum esse oportere dixerat: Cic. de or. I 72: (= 1241 M.): Sed, ut solebat C. Lucilius saepe dicere, . . . neminem esse in oratorum numero habendum, qui non sit omnibus iis artibus, quae sunt libero dignae, perpolitus; Lucilium quoque a Carneade stetisse docet Buettner (l. c. p. 135—143) et Cichorius, Untersuchungen zu Lucilius (Berlin 1908) p. 48.

[4]) Cf. p. 35, adn. 1.

Scipio[1]), ut contra — non aliter atque sophistae — orationem dignitate plane privaret et facetiis levibusque altercationibus summas partes tribueret[2]).

Haec fere sunt quae de utriusque oratoris eloquentia dicenda mihi esse existimo; iam transeamus ad ipsas orationum reliquias tractandas.

---

1) Cf. R. Reitzenstein, Werden und Wesen . . . p. 15.

2) Cic. Brut. 158: . . . multae facetiae . . . iam in altercando invenit parem neminem; cf. p. 34; egregie Tartara, l. c. p. 218 sq.: „Con Crasso all' eloquenza grave sottentra lo scherzo studiato: Catone e l' Africano minore avevano avuto il motto pronto come qualità accessoria; in lui, leggero nell' eloquenza come nella vita politica, le facezie diventano l' essenziale: accasciare l'avversario coll'arme del ridicolo, ecco l' indirizzo preso a poco a poco dagli oratori, e culminante in Crasso; donde l'ammirazione tributagli dall' Arpinate, famoso motteggiatore esso pure. La preoccupazione dei motti produsse in Crasso l'arguzia; e all'arguzia nella sostanza corrispose nella forma, che pure avea il vanto di molta finitezza, il vizioso periodare a piccioli membretti" e. q. s.

M. Antonius.

Pauly-Wiss. I 2, 590 num. 28; Drum.-Gr. I 44 sq. num. 9. Soederholm, De M. Antonio et L. Licinio Crasso oratoribus Romanis, Helsingforsae 1853. O. Enderlein, De M. Antonio oratore, diss. Lips. 1882.

Vita.

Natus a. 143, a. 113 quaestor fuit[1]; a. 102 praetor[2] cum proconsulari imperio in Ciliciam missus est[3]. Anno 99 consul, a. 97 censor fuit. Anno 89 lege Varia accusatus absolutus est[4]. A. 87 a Marianis trucidatus[5], caput in rostris positum est. In republica stetit a nobilibus[6].

Testimonia.

a) Laudes.

Cic. Brut. 138: *Quam multi iam oratores commemorati sunt, et quam diu in eorum enumeratione versamur, cum tamen spisse atque vix, ut dudum ad Demosthenem et Hyperidem, sic nunc ad Antonium Crassumque pervenimus! Nam ego sic existimo hos oratores fuisse maximos et in his primum cum Graecorum gloria Latine dicendi copiam aequatam.*

de or. III 16[7]: *Fuit uterque . . . cum studio et ingenio et doctrina praestans omnibus tum in suo genere perfectus, ut neque*

---

1) Cf. Fr. Sobeck, Die Quästoren der Römischen Republik, Bresl. diss. 1909, p. 20; falso Enderlein (p. 13 sqq.): a. 111, vide causam incestus, p. 16 sq.

2) Sic recte Klebs, Pauly-Wiss. l. c.; 103/4: Drum.-Gr. l. c. Wehrmann, fasti praetorii ab a. u. DLXXXVIII ad a. u. DCCX, diss. Gryphisw. 1875, p. 18.

3) Extat titulus ad hunc Antonium praetorem spectans quem incolae Prostrannae, oppidi Pisidiae, in templo Deli insulae dicarunt; cf. Bull. de Corr. Hell. XVI 155.

4) Cf. p. 27. 5) Cic. de or. I 24; ad fam. VI 2, 2.

6) Cf. p. 12, adn. 2.

7) Sescentas laudes et Antonii et Crassi quae extant in „de oratore“ exceptis iis quae a Cicerone extra colloquia ipsa proferuntur mitto.

in Antonio deesset hic ornatus orationis neque in Crasso redundaret[1]).

Vellei. II 22, 3: *M. Antonius, princeps civitatis atque eloquentiae.*

Accedunt: Cic. Brut. 186, 189; orat. 18, 106; div. in Caec. 25; pro Quinctio 80; Vellei. II 9; Val. Max. VI 8, 1; Macrob. V 1, 17[2]).

b) de studiis rhetoricis.

α) de or. I 85 . . . *Menedemus hospes meus.*

de or. II 360: . . . *vidi ego summos homines . . . in Asia quem vivere hodie aiunt, Scepsium Metrodorum . . .*

de or. II 95: . . . *Alabandensem illum Meneclem et eius fratrem Hieroclem quos ego audivi.*

β) Cic. Brut. 163: . . . *vellem aliquid Antonio praeter illum de ratione dicendi sane exilem libellum . . . libuisset scribere.* cf. orat. 18; de or. I 94, 206, 208; III 54, 189; Quint. III 1, 19; VIII prooem. 13; Plin. epp. V 20, 5[3]).

γ) Quint. XII 9, 5: *veteribus quidem etiam dissimulare eloquentiam fuit moris, idque M. Antonius praecipit, quo plus dicentibus fidei minusque suspectae advocatorum insidiae forent*[4]); item: II 17, 6; Cic. de or. II 4 [cf. § 1], 153, 156, 159 sq.

c) de ceterarum litterarum studiis.

Cic. Brut. 214: *Curio . . . nullum poetam noverat, nullum legerat oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat; non publicum ius, non privatum et civile cognoverat quamquam hoc quidem fuit etiam in aliis et magnis quidem oratoribus, quos parum his instructos artibus vidimus, ut Sulpicium, ut Antonium.*

α) Cic. de or. I 172: *Antonii incredibilis quaedam et prope singularis et divina vis ingenii videtur, etiamsi hac scientia iuris nudata sit.*

---

1) Vter maior fuerit orator magnam controversiam fuisse elucet et ex Ciceronis libris rhetoricis et ex hoc loco quem apud Diomedem inveni (G. L. I 450: (exemplum amphiboliae): certum est Antonium praecedere eloquentia Crassum; cf. et Macr. V 1, 16 sq.

2) Cf. et hanc de Antonii morte narratiunculam: milites quos Marius ad interficiendum Antonium in carcerem miserat, orator ad tantam misericordiam deflexit, ut nemo ei manum afferre auderet, sed tribunus ipse oratorem interficere cogeretur; Val. Max. VIII 9, 2; Klebs. l. c.

3) Cf. et huius opusc. p. 3 et 7. Duo libelli extant fragmenta, vide p. 29.

4) Cf. inc. auct. ad. C. Her. IV 7, 10: . . . propterea quod in dicendo leviter unusquisque locus plerumque tangitur ne ars appareat; cf. et de or. I 221.

de or. I 248: *De me autem ipso, cui uni tu concedis, ut sine ulla iuris scientia tamen causis satisfacere possim, tibi hoc, Crasse, respondeo neque me unquam ius civile didicisse neque tamen in iis causis, quas in iure possem defendere, unquam istam scientiam desiderasse* e. q. s.

β) de or. I 82: . . . *egomet qui sero ac leviter Graecas litteras attigissem, tamen quom proconsul in Ciliciam proficiscens venissem Athenas, complures tum ibi dies sum propter navigandi difficultatem commoratus; sed cum cotidie mecum haberem homines doctissimos, eos fere ipsos qui abs te* (sc. Crasso) *modo sunt nominati*[1]) *quom hoc nescio quo modo apud eos increbruisset me in causis maioribus sicuti te solere versari, pro se quisque ut poterat de officio et de ratione oratoris disputabat. Horum alii, sicuti . . . Mnesarchus* e. q. s.

de or. II 3: *De Antonio vero quamquam saepe ex humanissimo homine patruo nostro*[2]) *acceperamus quem ad modum ille vel Athenis vel Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedidisset,* e. q. s.; cf. et de or. I 93; II 58 sqq.; II 95; II 360; II 363.

De ratione dicendi[3]).

Cic. Brut. 165: *Antonii genus dicendi multo aptius iudiciis quam contionibus.*

a) Cic. Brut. 139: *Omnia veniebant Antonio in mentem; eaque suo quaeque loco, ubi plurimum proficere et valere possent, ut ab imperatore equites pedites levis armatura, sic ab illo in*

---

1) Cf. p. 33.

2) Sc. L. Cicerone; cf. Cic. l. c. § 2.

3) Imitatos esse permultos et Antonii et Crassi dicendi genus elucet et ex permultis locis dialogi qui inscribitur „de oratore", quibus Cicero C. Cottam et P. Sulpicium adulescentes alterum Antonii, alterum Crassi discipulum fuisse dicit, et ex hoc Ciceronis loco (pro Vareno = IV 3, 232 Mueller): . . . L. ille Septimius diceret — etenim et ad L. Crassi eloquentiam gravis et vehemens et volubilis: Erucius hic noster Antoniaster est; Quint. VIII 3, 22 (e Cicerone): Erucius Antoniaster (cf. Muenzer, Pauly-Wiss. VI. 1, 552). Ex numero priorum oratorum simillimus est Antonio Ser. Sulpicius Galba (cos. 144; Meyer p. 164 sqq.): uterque iurisscientiae imperitus erat, vi orationis, actione quadam mirabili, movenda misericordia excellebat, orationes non scribebat (Brut. 82 et 91 sqq.) — Oratorem eiusdem generis in „dialogo" induxit Tacitus M. Aprum; cf. Iohn, praef. ad commentar. (Berol. 1899) p. 42, 52.

maxume opportunis orationis partibus collocabantur; item: Brut. 215; de or. II 179; II 307 (II 125).

b) *erat memoria summa, nulla meditationis suspicio; imparatus semper aggredi ad dicendum videbatur, sed ita erat paratus ut iudices illo dicente nonnunquam viderentur non satis parati ad cavendum;* de or. II 350 sqq.; Brut. 215.

c) de or. III 32: *Videtisne genus hoc quod sit Antoni? forte vehemens commotum in agendo, praemunitum et ex omni parte causae saeptum, acre acutum enucleatum, in unaquaque re commorans, honeste cedens, acriter insequens terrens, supplicans, summa orationis varietate, nulla nostrarum aurium satietate.*

Macrob. V 1, 17 (e Cicerone): *stilus . . . ardens et erectus et infensus, quali usus est Antonius.*

d) Cic. Brut. 140[1]): *Verba ipsa non illa quidem elegantissumo sermone; itaque diligenter loquendi laude caruit (neque tamen est admodum inquinate locutus), sed illa quae propria* (corr. Lambinus; *proprie:* L.) *laus oratoris est in verbis . . . sed tamen Antonius in verbis et eligendis, neque id ipsum tam leporis causa quam ponderis et collocandis et comprehensione devinciendis nihil non ad rationem et tamquam ad artem dirigebat; verum multo magis hoc idem in sententiarum ornamentis et confirmationibus*[2]).

e) Cic. Brut. 141: . . . *sed cum haec magna in Antonio tum actio singularis* [item: Cic. de or. II 124; I 172; II 195;

---

[1]) Recte adnotat Kroll ad hunc locum (Ciceros „Brutus" erklärt von O. Jahn; 5. Aufl., bearb. v. W. Kroll. Berlin 1908): „Was Cicero über die Sprache des Antonius bemerkt, ist wegen der fortlaufenden Restriktionen, welche einander aufzuheben scheinen, nicht vollkommen klar ausgedrückt. Man sieht wohl, daß er ihm das höchste Lob einer kunstreich ausgebildeten Sprache nicht zugesteht, da sie nicht sorgfältig und mehr auf Nachdruck als auf Schönheit bedacht war. Dieses Lob soll Cicero selbst vorbehalten bleiben. Indessen will er doch die Vorstellung nicht aufkommen lassen, als habe Antonius den Anforderungen an eine korrekte Sprache nicht genügt".

[2]) Diomed. (G. L. I 472): *si in paenultimo tribrachys fuerit vel dactylus vel pyrrhichius, et successerit vel tribrachys vel molossus vel pyrrhichius vel anapaestus, erit structura quae delumbis vel fluxa vel mollis dicitur, qua usus dicitur Antonius maior.* Quae verba ad clausulas ab hoc Antonio adhibitas spectare nego: neque in Ciceronis libris rhetoricis quicquam de clausulis ab Antonio adhibitis extat — quamquam eum clausulis usum esse consentaneum est —, neque scripsit Antonius orationes suas. Locus ipse cum nonnullas clausulas sane absurdas praebeat, suspiciosus esse mihi videtur.

Brut. 215; Tusc. II 57; in Verr. V 3; huius op. p. 20 sq. (causa Aquillii)]; *quae si partienda est in gestum atque vocem, gestus erat non verba exprimens, sed cum sententiis congruens, manus, humeri, supplosio pedis, status incessus omnisque motus cum verbis sententiisque consentiens; vox permanens, verum subrauca natura. Sed hoc vitium huic uni in bonum convertebat. Habebat enim flebile quiddam in questionibus aptumque cum ad fidem faciendam tum ad misericordiam commovendam.*

Quint. XI. 3, 171: *Hic etiam fusca illa vox qualem Cicero fuisse in Antonio dicit, mire faciet; habet enim in se, quod imitamur.*

Orationes.

a) Cic. de off. II 49: *Sed cum sint plura causarum genera quae eloquentiam desiderent, multique in nostra re publica adulescentes et apud iudices et apud populum et apud senatum dicendo laudem assecuti sint, maxima est admiratio in iudiciis; quorum ratio duplex est. Nam ex accusatione et ex defensione constat; quarum etsi laudabilior est defensio*[1]*, tamen etiam accusatio probata persaepe est. Dixi paulo ante de Crasso; idem fecit adulescens M. Antonius*[2]*.*

de or. I 82: . . . *quom proconsul . . . venissem Athenas . . . cum cotidie mecum haberem homines doctissimos . . . quom hoc nescio quo modo apud eos increbruisset me in causis maioribus sicuti te* (sc. Crassum) *solere versari* e. q. s.

de or. II 125: *Quid ego de Cn. Mallii, quid de Q. Regis commiseratione dicam? Quid de aliis innumerabilibus?* cf. de or. II 30, 188.

b) Cic. Brut. 163: *Hoc loco Brutus: quandoquidem tu istos oratores, inquit, tantopere laudas, vellem aliquid Antonio praeter illum de ratione dicendi sane exilem libellum, plura Crasso libuisset scribere.*

Cic. orat. 132: *Vterer exemplis domesticis, nisi ea legisses, uterer alienis vel Latinis, si ulla reperirem . . . sed Crassi per-*

---

1) Cf. Cic. pro Quinct. 33, 44; accedit quod Cicero in „de inventione" de defensionum praeceptis multo plura verba facit quam de accusationum et quod in libro „de oratore" Crassus et Antonius defensionum a se habitarum mentionem faciunt multarum, accusationum paene nullarum.

2) Quem Ciceronis locum ad Carbonis causam (cf. p. 17 sq.), id quod omnes adhuc voluerunt spectare recte negat Klebs P.-W. l. c.

pauca sunt nec ea iudiciorum, nihil Antoni, nihil Cottae, nihil Sulpicii.

Item: de or. II 8, 97; pro Cluentio 140; Val. Max. VII 3, 5. Extabant autem orationum argumenta, ab aliis scripta; quod probatur et eo quod Cicero nonnullarum orationum argumentum tradidit et hoc incerti auctoris ad C. Herennium loco (IV 7): *adlatis igitur exemplis a Catone, a Gracchis, a Laelio, a Scipione, Galba*[1]), *Porcina, Crasso, Antonio ceteris* e. q. s.[2]).

1. Oratio pro se incestus.

Habita est anno 113 in.[3]).

Argumentum.

Exeunte anno 114[4]) tres virgines Vestales, Aemilia, Licinia[5]), Marcia incestus accusatae sunt[6]). Cum L. Metellus pontifex maximus mitius in reas se gessisset, Sex. Peducaeo tr. pl. rogante L. Cassius Longinus Ravilla ille „scopulus reorum“[7]) quaestioni extraordinariae praefectus est. Qui et virgines illas et nonnullos nobiles condemnavit[8]). In numero reorum et hic Antonius fuit; qui quaestor tum creatus et in Asiam profecturus iam Brundisium pervenerat, cum suum nomen ad Cassium delatum esse certior factus Romam revertit et ipse se defendit.

Val. Max. III 7, 9 (ex Livio aut Fenestella): *Contra M. Antonius ille disertus — non enim respuendo, sed am-*

---

1) Cum Catonis, Scipionis Aemiliani, Ti. et C. Gracchorum fragmenta extent permulta, Antonius orationes omnino non scripsit, Crassus perpaucas. Quae res eo intellegitur, quod orationes in contionibus et causis publicis habitae iam dudum scribebantur, orationes in privatis causis habitae quae scriberentur nondum dignae iudicabantur, cf. Mommsen, R. Str. R., p. 429, adn. 4: „Politische Prozeßreden sind schon früher veröffentlicht worden; aber noch von den beiden namhaftesten Sachwaltern aus der Mitte des 7. Jahrhunderts hat M. Antonius gar keine, L. Licinius Crassus nur politische Gerichtsreden herausgegeben. Diese Gattung der Literatur beginnt mit Hortensius und Cicero“.

2) *Galba . . . Antonio* secl. Simon (Die Hss. d. Rhetorik a. Herennius I. Abtlg., Progr. v. Schweinfurt 1863, II. 15).

3) Falso Enderlein: a. 111 (p. 13 sqq.), qui rem plane perturbavit.

4) Fenest. ap. Macr. I 10, 5 sq.

5) De Crassi pro Licinia oratione vide, p. 37.

6) Liv. per. 63. 7) Val. Max. III 7, 9.

8) De causa illa celeberrima vide Mommsen, St. R. II 664, adn. 2. R. Str. R., p. 197, adn. 3; Ziegler, fasti tribunorum plebis 133—70, Gymn.-Progr., Ulm 1903, p. 9.

plectendo causae dictionem quam innocens esset, testatus est — quaestor proficiscens in Asiam, Brundisium iam pervenerat, ubi litteris certior incesti se postulatum apud L. Cassium praetorem (immo: quaesitorem, cf. Muenzer, Pauly-Wiss. III. 1742, Klebs, Pauly-Wiss. I. 2590; longe aliter Chr. Petersen qui in dissertatione sua „de causis publicis Romanis inde ab anno CXXI usque ad a. LXXXI a. Chr. n. actis, Kiliae 1880, p. 26“ Cassium quaesitorem a praetore secrevit), *cuius tribunal propter nimiam severitatem s c o p u l u s r e o r u m dicebatur, cum id vitare beneficio legis Memmiae liceret, quae eorum qui rei publicae causa absessent, recipi nomina vetabat*[1], *in urbem tamen recurrit. Quo tam pleno fiduciae bonae consilio cum absolutionem celerem tum profectionem honestiorem consecutus est.*

Val. Max. VI 8, 1: *M. Antonius avorum nostrorum temporibus clarissimus orator incesti reus agebatur. Cuius in iudicio accusatores servum in quaestionem perseverantissime postulabant, quod ab eo cum ad stuprum iretur, lanternam praelatam contenderent. Erat autem is etiam tum inberbis et stabat ⟨in⟩ corona videbatque rem ad suos cruciatus pertinere nec tamen eos fugitavit . . . plurimis . . . laceratus verberibus eculeoque impositus, candentibus etiam lamminis ustus omnem vim accusationis custodita rei salute subvertit*[2].

2. Oratio in Cn. Papirium Carbonem.

Post reditum ex Asia, fortasse iam a. 112 habita.

Argumentum.

Cn. Papirius Carbo, consul a. 113, in agro Norico perfide Cimbris insidias paraverat, sed ipse gravissimam cladem acce-

---

v. 11. *quo* cdd. vett.] *que vota* L^1; *quae vota* L^2 A^1; *quo* A^2.
v. 17. *iretur* Par., quod probat Gertz et ipse recepi clausulam respiciens]; *irent* L et A; *iret* Halm.
v. 18. ⟨*in*⟩ om. cdd.; add. G. Becker (annal. Fleckeis. 1867, p. 338).

---

[1] De illa lege Memmia nil constat; falso Cuq (in: Daremberg-Saglio: Dictionnaire des antiquités Grecques et Romaines s. v. „lex“ III 2, 1155) legem a. C. Memmio tr. pl. a. 111 latam esse coniecit.

[2] Mommsen (R. Str. R. 414): „Die Vernehmung des Unfreien ist wohl zu Gunsten des Herren oder Patrons zulässig, nicht aber zu dessen Belastung.

perat magnamque exercitus partem amiserat[1]). Quem tum Antonium iuvenem *ut aliquo insigni iudicio civibus suis nosceretur* (vide infra), maiestatis accusasse solus auctor est Apuleius. Carbonem vix damnationem effugisse elucet ex his Ciceronis verbis: ad fam. IX 21, 3: *iam pater eius* (sc. Cn. Papirii Carbonis, consulis a. 85, 84, 82) accusatus *a M. Antonio sutorio atramento absolutus putatur*[2]).

Apulei. apol. c. 66: . . . *neque autem gloriae causa me accusat ut M. Antonius Cn. Carbonem, C. Iulius T. Albucium, P. Sulpicius C. Norbanum, L. Fufius M'. Aquillium, C. Curio Q. Metellum. Quippe homines eruditissimi iuvenes laudis gratia primum hoc rudimentum forensis operae subibant, ut aliquo insigni iudicio civibus suis noscerentur. Qui mos incipientibus adulescentulis ad illustrandum ingenii florem apud antiquos concessus diu exolevit*[3]).

---

v. 9. *C. Julius T. Albucium* corr. Sauppe] *C. Mucius et A. Albucium* cd.; cf. Cic. div. in Caec. 63; pro Scauro 40; de off. II 50; Suet. div. Jul. 55.

v. 10. *Cn. Norbanum* cd.] sed cf. Antonii orationem pro C. Norbano, p. 22 sqq. — *C. Furius* cd.] sed cf. Brut. 222; de off. II 50; huius op. p. 20.

In republikanischer Zeit ist abgesehen von einigen durch Senatsbeschluß angeordneten politischen Prozessen (sequuntur hic aliique loci) an dieser Norm festgehalten worden".

[1]) Liv. per. 63, Mommsen R. G. II 174 sq. — Duo alii Carbones tum accusationibus perierunt, vide p. 36 et Cic. ad fam. IX 21, 3.

[2]) Quibus ex Ciceronis verbis Carbonem „voluntaria morte (sutorio atramento = Kupfervitriol) a iudicio liberatum esse" elucere coniecerunt Manutius, Meyer (p. 283), Petersen (p. 147 sq.), Enderlein (p. 13), Cima (p. 162) ceterique. Neque vero *atramentum sutorium* unquam significare potest „Kupfervitriol" (cf. Thes. l. l. II 1091) neque *absolutus putatur* (quamquam *absolvere* haud paucis locis idem est atque *de medio tollere,* cf. Thes. l. l. I 177) hoc loco interpretandum est *voluntaria morte a iudicio liberatus est,* immo Cicero scripsisset *ipse se liberavit.* Quae optime disseruit Nipperdeius (opusc. 548). Idem Carbonem tum „falsis tabulis" absolutum esse coniecit (quacum coniectura velim conferas causam M. Valerii Messallae, cos. a. 53, qui ab Hortensio defensus „malis amicorum artibus" damnationem effugit: Cic. ad. fam. VIII 2, 1; ad Att. V 12, 2. Val. Max. V 9, 2, Meyer p. 376 sq.).

[3]) De illo more cf.: Cic. de off. II 49 sq.; pro Caelio 73; Quint. XII 6, 1; Val. Max. V 4, 4; Tac. dial. 34, Suet. div. Iul. 4. Cf. et Dolabellae accusationem Appii Claudii Pulchri, a. 50; Meyer p. 431 sq.

3. Oratio pro Cn. Mallio Maximo.

A. 103.

Argumentum.

Cn. Mallio Maximo consule et Q. Servilio Caepione proconsule anno 105 apud Arausionem a Cimbris devictis[1]) populi indignatio tanta fuit, ut Caepio *cuius temeritate clades accepta erat*[2]), et bonis privaretur et anno 104 senatu moveretur[3]). Ac ne tum quidem tribuni plebis, imprimis L. Apuleius Saturninus, C. Norbanus[4]), plebem incitare desierunt, immo insequenti anno ut quaestio extraordinaria de rebus male ab optimatibus in bello Cimbrico gestis institueretur perfecerunt[5]). Tum hic Mallius quoque *ob eandem causam quam et Caepio L. Saturnini rogatione e civitate plebiscito eiectus*[6]). Qua in causa ab Antonio eum defensum esse elucet ex hoc Ciceronis loco:

De or. II 125 (Crassus loquitur de Antonii orationibus): *Quid ego de Cn. Mallii, quid de Q. Regis*[7]) *commiseratione*[8]) *dicam? Quid de aliis innumerabilibus*[9])*?*

---

v. 4. *Cn. Mallii* sic scripsi et Granium Licinianum et C. I. L. X 1781 secutus] *Cn. Manlii* M et Friedrich; *Manilii Mallii* L (illud del. et *Mallii* corr. P.).

---

1) Liv. per. 67, Gran. Lic. p. 12, 8 Fl.

2) Liv. l. c.; Gran. Lic. p. 11, 8 sq. Fl.

3) Liv. l. c.; Ascon. in Corn. 78.

4) Cf. p. 22.

5) Gran. Lic. p. 13, 13; Mommsen, R. G. II 180 adn., Ziegler, l. c. p. 12 sq.

6) Gran. Lic. l. c., de L. Apulei Saturnini legibus, cf. Von der Mühll. De L. Appuleio Saturnino tr. pl. diss. Basil. 1906, p. 63 sqq.

7) De Q. Rege nil constat. cf. p. 26. — Gravissime Cima vituperandus est, quod Regem Mallii collegam fuisse scripsit (l. c. p. 167).

8) De *commiseratione*, epilogi parte, cf. R. Volkmann, Die Rhetorik der Griechen und Römer ed. 2. Lipsiae 1874, p. 214.

9) Antonium non ipsos Mallium et Regem defendisse, sed illas *commiserationes* partem fuisse orationis pro Norbano a. 95 habitae coniecerunt Meyer (p. 290), Piderit (p. 26, adn. 128), Cima (p. 177, adn. 1), Klebs (l. c.). Minime autem ut res ita se habeat potest fieri; nam primum ipso vocabulo *commiseratio* id probatur, cf. adn. 8; deinde de Marcio Rege nil constat; tum §§ 124 et 125 interpretantes minime cum Norbani causa Mallii commiserationem coniungere cogimur; nam sic res se habet: Antonius qui de o r n a m e n t i s o r a t i o n i s verba faciat, idoneum esse se negat; at Crassus aptissimum Antonium esse dicit et affert exempla ex ipsius Antonii orationibus: orationem pro Aquillio habitam, celeberrimam actione (cf. p. 20), causam Norbani in

4. Oratio pro M.' Aquillio.

Habita aut ex. a. 99 aut in. a. 98[1]).

Argumentum.

M.' Aquillius cos. 101 in Siciliam ad servile bellum opprimendum missus inde confecto bello duobus annis post Romam ovans rediit[2]). In ius vocatus repetundarum a L. Fufio[3]) cum haudquaquam innocens esset iudices rogare noluit[4]). Tum Antonius Aquillii defensor extitit. Cum de crimine ipso nihil detrahi posse intellexisset, id unum spectabat, ut misericordiam iudicum moveret[5]). Et perfecit ut reus absolveretur[6]).

Cf. de or. II 195; Liv. per 70; Apul. ap. c. 66; Schol. Bob. p. 55, 2 H.; Diodor. XXXVI 10; Athen. V p. 213b.

Ex epilogo orationis:

Cic. de or. II 194 sqq. (Antonius loquitur) . . . *Quare nolite existimare me ipsum . . . cum mihi M.' Aquilius in civitate retinendus esset, quae in illa causa peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse. Quem enim ego consulem fuisse, imperatorem ornatum a senatu, ovantem in Capitolium ascendisse meminissem, hunc cum adflictum, debilitatum, maerentem, in*

---

qua *etiam seditionem nonnunquam e re publica esse* Antonius diserte demonstraverit; sequuntur exempla orationum in quibus commiseratio, gravissima illa epilogi pars, ornatissime ab Antonio dicta sit: commiseratio Cn. Mallii, commiseratio Q. Regis, aliae innumerabiles; concludit Crassus: (§ 125): *in quibus hoc non maxime enituit quod tibi omnes dant, acumen quoddam singulare, sed haec ipsa quae nunc ad me delegare vis, ea semper in te eximia et praestantia fuerunt.* Denique in oratione pro Norbano, exilii Mallii auctore, eiusdem Mallii sortem multis verbis miserari nonne stultissimum fuit? Ceterum iam ante Granium Licinianum repertum Ellendt (l. c. p. 65) et Mallii et Regis causam a Norbani secernendas esse scripsit eumque secutus est Enderlein (l. c. p. 35 sq.).

[1]) Nam antequam Metellus Numidicus anno 98 rogatione Calidii tr. pl. (cf. Ziegler, p. 15; Von der Mühll, p. 97 sq.) ex exilio revertit, Marius quem huic causae adfuisse constat (Cic. de or. II 196 sq.; vide infra p. 21), Roma excessit (Von der Mühll l. c.).

[2]) Klebs P.-W. I 324 sqq.

[3]) Cic. Brut. 182, 222; de or. II 91; III 50; de off. II 50; huius op. p. 18, 10.

[4]) Cic. pro Flacco 98; Liv. per. 70.

[5]) Cf. Cic. Brut. 89 sq.: *Ser. Sulpicius Galba . . . nihil recusavit pro se et populi fidem imploravit*; cf. p. 13, adn. 3.

[6])Liv. per. 70.

summum discrimen adductum viderem, non prius sum conatus misericordiam aliis commovere quam misericordia sum ipse captus. Sensi equidem tum magnopere moveri iudices, quom excitavi maestum ac sordidatum senem, et cum ista feci, quae tu, Crasse, laudas, non arte de qua quid loquar nescio, sed motu magno animi ac dolore, ut discinderem tunicam, ut cicatrices ostenderem (item: de or. II 124; Verr. V 3; Quint. II 15, 7; Liv. per. 70)[1]. *Cum C. Marius maerorem orationis meae praesens ac sedens multum lacrumis suis adiuvaret quomque ego illum crebro appellans collegam ei suum commendarem atque ipsum advocatum ad communem imperatorum fortunam defendendam invocarem* (item: de or. II 124), *non fuit haec sine meis lacrumis, non sine dolore magno miseratio omniumque deorum et hominum et civium et sociorum imploratio. Quibus omnibus verbis quae a me tum sunt habita, si dolor afuisset meus, non modo non miserabilis, sed etiam inridenda fuisset oratio mea*[2][3].

5. Testimonium in Sex. Titium.

Paulo post a. 99.

Argumentum.

Anno 99 Antonius consul accerrime cum turbulentis tribunis plebis, maxime cum Sex. Titio, Apulei Saturnini sectatore[4], contenderat; nam cum ille lege de agris dividundis[5]) plebis gratiam

---

1) Imitatur Hyperidem quem in epilogo orationis Phrynes reae sinum nudasse tradidit Athenaeus 590e. (Sed cf. Christ-Schmid, Gesch. d. grch. Literatur, München 1908, p. 576, adn. 5).

2) Cf. Horat. ars p. v. 102 sqq.: . . . *si vis me flere dolendumst Primum ipsi tibi* e. q. s.

3) De or. II 168 (Antonius loquitur): *Ex parte autem ea quae est subiecta generi: Si omnes qui rei publicae consulunt cari nobis esse debent, certe in primis imperatores quorum consiliis, virtute, periculis retinemus et nostram salutem et imperii dignitatem.* Hoc loco alludentem ad suam pro Aquillio orationem fecisse Antonium videtur Cicero; neque vero habitae orationis fragmentum praebet; nam neque scripserat orationes Antonius, neque ullo dialogi loco Cicero fragmentorum quae affert auctorum nomina addere omisit (*ut Antonius, ut ego*).

4) Cic. pro Rab. perd. 24; Val. Max. VIII 1, damn. 3; de Titio: Brut. 225; Ziegler p. 15; Von der Mühll 99.

5) Daremberg-Saglio l. c. III 2, p. 1125, 1165; Cic. de legg. II 14.

sibi conciliare conaretur, valde obstitit ei consul[1]). Paulo post cum nobiles principatum recuperassent[2]), maiestatis accusatus et condemnatus est[3]). Tum Antonius in eum testimonium *accuratius* dixit.

Cic. de or. II 48: *Nam et testimonium saepe dicendum est ac nonnunquam etiam accuratius, ut mihi etiam necesse fuit in Sex. Titium seditiosum civem et turbulentum; explicavi in eo dicendo omnia consilia consulatus mei, quibus illi tr. pl. pro re publica restitissem, quaeque ab eo contra rem publicam facta arbitrarer exposui; diu retentus sum; multa audivi, multa respondi.*

6. Oratio pro C. Norbano.

Inter a. 96 et 93[4]).

Argumentum.

Cn. Mallium Maximum et Q. Servilium Caepionem a. 105 apud Arausionem devictos duobus annis post quaestione extraordinaria Saturnini rogatione instituta e civitate eiectos esse iam supra in enarranda causa Mallii (p. 19) docuimus[5]). Qua in quaestione L. Aurelio Cotta et T. Didio tr. pl. intercedentibus seditio cum orta esset, ambo tribuni plebis a seditioso collega C. Norbano, Saturnini adiutore, vi foro pulsi sunt[6]). Saturnino a. 100 necato cum paulo post potentia nobilium paene oppressa recreata esset, anno 95 C. Norbanus eadem lege maiestatis a Saturnino perlata (cf. Von der Mühll p. 66 sqq.) in ius vocatus est. Tum exstitit Norbani defensor M. Antonius[7]) et celeberrima

---

[1]) Vide inc. fragm., p. 28.

[2]) Cf. infra Norbani causam. [3]) Cf. p. 21, adn. 4.

[4]) Post a. 97 causam actam esse elucet ex hoc Ciceronis loco (de or. II 198) (Antonius loquitur): *accedebat ut . . . ego homo censorius* (fuit autem censor a. 97) *vix satis honeste viderer seditiosum civem . . . posse defendere.* Deinde in dialogo „de oratore“ quem Cicero anno 91 habitum esse finxit, „de hac causa ita sermo est — praesertim adverbio tum usurpato (de or. II 201, 202) — ut ea non eodem anno vel antecedente acta esse possit“ (sic recte Enderlein, p. 40). Restant igitur anni 96—93. — De anno 95 vide p. 40 sq.

[5]) Caepio tum vix mortem effugit; e vinculis a L. Regino tr. pl. liberatus in Asiam abiit; cf. Val. Max. IV 7, 3; Gran. Lic. p. 13, 12 Fl., Cic. pro Balbo 28.

[6]) Cic. de or. II 197.

[7]) Norbanus quaestor Antonii fuerat vel praetoris (a. 102) vel consulis (a. 99); cf. Sobeck, l. c. p. 25; Cic. de or. II 202.

oratione ut absolveretur perfecit. Testimonium in Norbanum dixit M. Aemilius Scaurus, princeps ille senatus[1].

Locos ut cursum orationis dilucide cognoscas disposui sic:

Cic. de or. II 197 sq. (Antonius loquitur): *Habueras enim tu* (sc. Sulpicius Rufus, Norbani accusator)[2] *omnia in causa superiora: vim, fugam, lapidationem, crudelitatem tribuniciam in Caepionis gravi miserabilique casu in iudicium vocabas; deinde principem et senatus et civitatis M. Aemilium lapide percussum esse constabat; vi pulsum e templo L. Cottam et T. Didium, cum intercedere vellent rogationi*[3], *nemo poterat negare. Accedebat, ut haec tu adulescens pro re publica queri summa cum dignitate existimarere, ego homo censorius vix satis honeste viderer seditiosum civem et in hominis consularis calamitate crudelem posse defendere. Erant optimi cives iudices, bonorum virorum plenum forum, vix ut mihi tenuis quaedam via daretur excusationis, quod tamen eum defenderem, qui mihi sodalis fuisset*[4]. . . . *Quid fecerim, narrabo.*

de or. II 202: *Hic Sulpicius: Vere hercle, inquit, Antoni, ista commemoras. Nam ego nihil unquam vidi quod tam e manibus elaberetur quam mihi tum est elapsa illa ipsa causa.*

1. *Quom enim quemadmodum dixisti tibi ego non iudicium, sed incendium tradidissem, quod tuum principium, di immortales, fuit! qui timor! quae dubitatio, quae haesitatio tractusque verborum! Vt tu illud initio quod tibi unum ad ignoscendum homines dabant, tenuisti te pro homine pernecessario quaestore tuo dicere! . . . Ecce autem, quom te nihil aliud profecisse arbitrarer nisi ut homines tibi civem improbum defendenti ignoscendum propter necessitudinem arbitrarentur, serpere occulte coepisti nihil dum aliis suspicantibus me vero iam pertimescente, ut*

---

v. 16. *sodalis* Nonius (p. 173 M), quam lectionem recepi cum Friedrich] *legatus* M; *quaestor* L

v. 23. *quae haesitatio* om. M. — *ut tu* γ] *ut tuo* L; *tu* M.

v. 26. *dicere* om. M — *te* om. M.

v. 29. *dum* L] *tum* M

---

[1] Val. Max. VIII 5, 2.

[2] De or. II 89; de off. II 49 ex.; Quint. XII 7, 4. Apul. ap. c. 66.

[3] sc. Saturnini, cf. p. 19.

[4] De or. II 197 in. . . . *in accusando sodali meo.*

2. *illam non Norbani seditionem sed populi Romani iracundiam neque eam iniustam, sed meritam ac debitam fuisse defenderes.*

a) de or. II 199 (Antonius loquitur): *Omnium seditionum genera, vitia, pericula collegi eamque orationem ex omni reipublicae nostrae temporum varietate repetivi conclusique ita ut dicerem, etsi omnes molestae semper seditiones fuissent, iustas tamen fuisse nonnullas et prope necessarias. Tum illa quae modo Crassus commemorabat, egi: neque reges ex hac civitate exigi neque tribunos plebis creari neque plebisscitis totiens consularem potestatem minui neque provocationem patronam illam civitatis ac vindicem libertatis populo Romano dari sine nobilium dissensione potuisse, ac si illae seditiones saluti huic civitati fuissent, non continuo, si quis motus populi factus essst, id C. Norbano in nefario crimine atque in fraude capitali esse ponendum. Quod si unquam populo Romano concessum esset, ut iure incitatus videretur id quod docebam saepe esse concessum, nullam illa causa iustiorem fuisse.*

de or. II 124 . . . *illi oratori . . . qui eidem, hoc accusante Sulpicio quom hominem seditiosum furiosumque defenderet non dubitavit seditiones ipsas ornare ac demonstrare gravissimis verbis multos saepe impetus populi non iniustos esse, quos praestare nemo posset; multas etiam e re publica seditiones saepe esse factas, ut quom reges essent exacti, ut quom tribunicia potestas constituta: illam Norbani seditionem ex luctu civium et ex Caepionis odio, qui exercitum amiserat*[1]*, neque reprimi potuisse et iure esse conflatam.*

b) de or. II 107: *Iam quid vocetur quaeritur quom quo verbo quid appellandum sit contenditur; ut mihi ipsi cum hoc Sulpicio fuit in Norbani causa summa contentio. Pleraque enim de iis quae ab isto obiciebantur quom confiterer, tamen ab illo maiestatem minutam negabam; ex quo verbo lege Appuleia*[2]*) tota illa causa pendebat.*

---

v. 28. *iam* L] *iam cum* M; *iam tum* e; *tum* coni. Friedrich.

---

[1]) Cf. inc. auct. ad C. Her. I 24: *concessio . . . dividitur . . . in . . . fortunam, ut Caepio ad tribunos plebis de exercitus amissione.*

[2]) Cf. p. 19; Daremberg-Saglio III 2, p. 1129.

II 109: . . . *Quantum uterque nostrum potuit omni copia dicendi dilatavit quid esset* maiestatem minuere. Item: partit. orat. 104.

II 167: *Si magistratus in populi Romani esse potestate debent, quid Norbanum accusas cuius tribunatus voluntati paruit civitatis?*

de or. II 164: *Si maiestas est amplitudo ac dignitas civitatis, is eam minuit, qui exercitum hostibus populi Romani tradidit, non qui eum, qui id fecisset, populi potestati tradidit.*

3. de or. II 203: *Deinde qui locus a te praetermissus est in Caepionem? Ut tu illa omnia odio, invidia, misericordia miscuisti!*

de or. II 199 m.: . . . *Tum omnem orationem traduxi et converti in increpandam Caepionis fugam, in deplorandum interitum exercitus. Sic et eorum dolorem qui lugebant suos oratione refricabam et animos equitum Romanorum, apud quos tum iudices causa agebatur, ad Q. Caepionis odium, a quo erant ipsi propter iudicia abalienati*[1]*, renovabam atque revocabam.*

4. (ἐπίλογος) de or. II 200 sq.: . . . *Tum admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci genus illud alterum, de quo ante disputavi, lenitatis et mansuetudinis coepi: me pro meo sodali, qui mihi in liberum locum more maiorum esse deberet, et pro mea omni fama prope fortunisque decernere, nihil mihi ad existimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere posse quam si is qui saepe alienissimis a me sed meis tamen civibus saluti existimarer fuisse, sodali meo auxilium ferre non potuissem. Petebam a iudicibus ut illud aetati meae, ut honoribus, ut rebus gestis concederent, si iusto, si pio dolore me esse adfectum viderent; praesertim si in aliis causis intellexissent omnia me semper pro*

v. 31. *concederent* om. M] post *viderent* pos. L.

[1]) Anno 106 Servilius consul equitibus iudicia eripuerat; cf. Crassi suasionem legis Serviliae, p. 37 sq. — Cic. de inv. I 92 . . . *offensum, ut siquis apud equites cupidos iudicandi Caepionis legem iudiciariam laudet.*

amicorum periculis, nihil unquam pro me ipso deprecatum.

5. (Testes):

de or. II 203 ex.: . . . *Ut tu illa omnia odio invidia misericordia miscuisti! Neque haec solum in defensione sed etiam in Scauro ceterisque meis testibus, quorum testimonia non refellendo, sed ad eundem impetum populi confugiendo refutasti.*

7. Oratio pro Q. Marcio Rege.

Ante autumnum anni 91[1]).

Neque de causa neque de Marcio Rege quicquam constat[2]). Cic. de or. II 125: *Quid ego de Cn. Mallii, quid de Q. Regis commiseratione dicam? Quid de aliis innumerabilibus*[3])*?*

8. Oratio apud centum viros contra fratres Cossos.

Ante autumnum anni 91[1]).

Causa incerta.

Cic. de or. II 98: . . . *in ea causa, quam ille* (sc. Curio pater, Meyer p. 350) *contra me apud centum viros pro fratribus Cossis*[4]) *dixit.*

9. Oratio pro M. Mario Gratidiano.

Paulo ante autumnum a. 91[5]).

Vt in Norbani causa sic in hac Antonius familiaris cuiusdam defensor extitit: fuit enim M. Marius Gratidianus[6]), a Mario quodam adoptatus, filius M. Gratidii[7]), qui praefectus Antonii in Cilicia mortuus est[8]).

---

1) Facit enim causae mentionem Cicero in dialogo qui inscribitur „de oratore"; quem autumno a. 91 habitum esse finxit.

2) Cf. p. 19. — Novimus duos Q. Marcios Reges, consulem anni 118 (C. I. L. I². p. 150) et praetorem anni 144 (Wehrmann l. c. p. 9).

3) De loci interpretatione vide p. 19 adn. 9.

4) Quos ad Cossos locus referendus sit, nescimus; cf. Muenzer, Pauly-Wiss. suppl. I 328 sq., No. 110a.

5) Quod Cicero scripsit (de or. I 178): *nuper quom ego* (sc. Crassus) *C. Sergii Oratae contra hunc nostrum Antonium . . . causam defenderem,* non multum ante 91 causa videtur acta esse.

6) Cf. Cic. Brut. 223. 7) Cf. Cic. Brut. 168. 8) Cf. Cic. Brut. 168.

Argumentum causae exstat apud:

Cic. de off. III 67: *M. Marius Gratidianus, propinquus noster, C. Sergio Oratae vendiderat aedes eas quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Eae serviebant, sed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in iudicium est. Oratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius. Ius Crassus urgebat, quod vitii venditor non dixisset sciens, id oportere praestari, aequitatem Antonius, quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas aedes vendidisset, nihil fuisse necesse dici, nec eum esse deceptum, qui id quod emerat, quo iure esset, teneret*[1]).

Cf. Cic. de or. I 178; vide Crassi orationem, pro Sergio Orata.

10. Oratio pro se.

A. 90.

Argumentum.

Ut permulti tum nobiles sic hic Antonius anno 90 famosa illa lege Q. Varii Hibridae tr. pl. accusatus est qua *quaereretur de iis quorum ope consiliove socii contra populum Romanum arma sumpsissent*[2]).

Cic. Tusc. II 57: *Genu mehercule M. Antonium vidi, cum contente pro se ipse lege Varia diceret, terram tangere.*

⟨11. Oratio quam Antonius censor a. M. Duronio de ambitu reus factus pro se habuisse dicitur.⟩

A. 97.

Legimus apud

Cic. de or. II 274: . . . *ut tibi, Antoni, Mancia cum audisset te censorem a M. Duronio de ambitu postulatum „Aliquando“, inquit, „tibi tuum negotium agere licebit“.*

---

1) De exitu causae nil constat; nam nimis claudicat haec Cimae coniectura (l. c. p. 184, adn. 3): „. . . crederei probabile che la causa sia stata vinta da Antonio, si perchè pei giudici romani l'aequitas era considerata assai più che non sia oggidì . . ., sì perchè il silenzio di Cicerone è più spiegabile trattandosi di una sconfitta di Crasso, rappresentante delle sue idee e anzi copia di sè stesso, che non sarebbe di quella di Antonio.“

2) Ascon. p. 19, 23 sqq. K.-Sch.; de lege cf. Mommsen, R. G. II 228 sq.; Ziegler, l. c. p. 16.

Eundem Duronium a M. Antonio et L. Flacco censoribus, quod legem de coercendis conviviorum sumptibus latam tr. pl. abrogasset, senatu motum esse docet Valerius Maximus (II 9, 5). — Cum neque unquam temporibus liberae reipublicae Romanae censores designati extiterint[1]) neque magistratuum, cum primum munus inissent, nomen ad praetorem deferre licuerit[2]), causam omnino non actam, sed Duronium Antonium reum facere frustra conatum esse cum Klebsio (l. c. p. 2591) credo[3]).

Incerta.

I.

Cic. de or. II 265: *Trahitur etiam aliquid ex historia, ut quom Sex. Titius*[4]) *se Cassandram esse diceret*[5]), Multos, *inquit Antonius,* possum tuos Aiaces Oileos nominare[6]).

II.

Cic. de or. II 257: *Nam in Coelio sane etiam ad causam utile fuit tuum illud, Antoni, quom ille a se pecuniam profectam diceret testis et haberet filium delicatiorem, abeunte iam elate illo.* Sentin senem esse tactum triginta minis[7])?

---

v. 17. *elate* corr. Friedrich] *etate* M; om. L ε.
v. 18. *sentin* L et vg.] *sentiri* M; *satin* Buecheler.

---

[1]) Mommsen, St. R. I 530; II 341.

[2]) Mommsen, St. R. II 356.

[3]) Longe aliter Cima qui Antonium magistratu functum a Duronio accusatum esse existimat (l. c. p. 174 et p. 174, adn. 4); quam sententiam falsam esse elucet e Manciae quod supra attuli dicto *tibi tuum negotium agere licebit*; perverse Enderlein (p. 29) Duronium postquam Antonium accusasset, a censore irato senatu motum esse coniecit. (sed cf. Val. Max. l. c.).

[4]) De rixis Antonii consulis cum Titio tr. pl. a 99 habitis et de testimonio in illum ab Antonio postea dicto vide p. 21 sq.; neque vero hoc altercationis fragmentum illi testimonio, immo turbulentis contionibus anni 99 tribuendum est.

[5]) sc. quod ut Cassandrae (Aesch. Ag. 1202 sqq.) sic suis monitis nemo obsequeretur.

[6]) De Cassandra ab Aiace Oileo stuprata cf. Quint. XIII 4, 22; Serv. ad Verg. Aen. I 41; Prop. IV 1, 118 sqq. aliaque; vide Roscher I 135 sqq.

[7]) Com. Rom. fragm. ex inc. f. 45 R. — Confer cum hoc versu Plaut. Epid. 705: *pro tua filia: is te ob eam rem (istea* vel *istam:* A) *tetigi triginta minis.*

Fragmenta libelli qui inscribitur de ratione dicendi[1]).

I.

Cic. de or. I 94 (Antonius): *Itaque ego . . . scripsi etiam illud quodam in libello* . . . disertos cognosse me nonnullos, eloquentem adhuc neminem, *quod eum statuebam disertum, qui posset satis acute atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam opinione hominum dicere, eloquentem vero, qui mirabilius et magnificentius augere posset atque ornare quae vellet* e. q. s.

Quint. VIII prooem. 13: *M. Antonius . . . cum a se disertos visos esse multos ait, eloquentem neminem.*

II.

Quint. III 6, 45: A plurimis tres sunt facti generales status . . . tres fecit et M. Antonius his quidem verbis: paucae res sunt, quibus ex rebus omnes orationes nascuntur, factum non factum, ius iniuria, bonum malum.

---

[1]) De illo Antonii libello vide p. 3. 7. 12.

L. Licinius Crassus.

Soederholm, De M. Antonio et L. Licinio Crasso oratoribus Romanis, Helsingforsae, 1853. M. Oette, De L. Licinio Crasso, diss. Lips. 1873.

Vita.

Natus a. 140[1]), inter 112/108 quaestor[2]), a. 107 tr. pl.[3]), aed. cur. inter 105/3[4]), praetor a. 100 (vel 99)[5]), consul a. 95[6]), censor a. 92 fuit[7]). Anno 94 proconsul Galliam citeriorem administravit[8]). Anno 91 cum Drusi partes secutus L. Marcio Philippo consuli fortiter in senatu obstitisset, subito diem supremum obiit[9]) (a. d. XIII. Kal. Oct.).

---

[1]) Cic. Brut. 161: . . . *Q. Caepione consule natus et C. Laelio, triennio ipso minor quam Antonius*; at: de or. II 364 (Antonius de Crasso) . . . *an aetatem adferet? Quadrienno minor est.* In libro novem annis post scripto Cicero ipse se correxit.

[2]) Cf. Sobeck, l. c. p. 20. [3]) Cf. Ziegler, l. c. p. 11.

[4]) Seidel, Fasti aedilicii von der Errichtung der plebejischen Ädilität bis zum Tode Cäsars, Bresl. Diss. 1908, p. 44.

[5]) Wehrmann, l. c. p. 20; Seidel, l. c.; aliter (a. 98) Mommsen, R. G. II 211, Oette, p. 29 sq., Cima l. c. 177, adn. 2.

[6]) De lege Licinia Mucia sociis inimicissima cf. Ascon. in Corn. p. 60 K.-Sch; Daremberg-Saglio III 2, 1153; Strehl, M. Livius Drusus, diss. Marb. 1887, p. 51.

[7]) De Boor, fasti censorii, diss. Berol. 1873, p. 25. E. Babelon, description historique et chronologique des monnaies de la république Romaine Paris 1885, II 130 sqq., de edicto censorio cf. p. 32, de controversiis cum Domitio collega habitis cf. p. 44 sqq.

[8]) Vnde ignotis nonnullis Alpium gentibus victis Romam reversus triumphum petebat (Cic. in Pis. 62; Brut. 255 sq.; de inv. II 111); frustra: nam cum alii tum Q. Mucius Scaevola — quem in omnibus fere magistratibus Crassi collegam fuisse constat (Cic. Brut. 161) — ne triumphum ageret, perfecerunt. — Vide quam similes fuerint inter se Cicero et Crassus etiam in hac re sane exigua: uterque parvulam „victoriam" nactus triumphum petit.

[9]) Cf. p. 47 sq.

Testimonia.

a) Laudes.

Cic. Brut. 143: *Huic* (sc. Antonio) *alii parem esse dicebant, alii anteponebant L. Crassum; illud quidem certe omnes ita iudicabant, neminem esse, qui horum altero utro patrono cuiusquam ingenium requireret. Equidem quamquam Antonio tantum tribuo quantum supra dixi, tamen Crasso nihil statuo fieri potuisse perfectius*[1]).

Accedunt: Brut. 138, 145, 159, 186, 189, 296, 333; pro Quinctio 80; div. in Caec. 25; Verr. III 3; de or. III 14 sqq.; inc. auct. ad C. Her. IV 2, 2; Lucil. v. 86 et 386 sq. M.[2]); Vellei. II 9; Quint. XII 10, 10; Val. Max. III 7, 6; Seneca epp. 114, 13; Tac. dial. 18 et 26; Macrob. V 1, 16.

b) De studiis rhetoricis.

α) Cic. de or. I 155: (Crassus loquitur:) *Postea mihi placuit eoque sum usus adulescens, ut summorum oratorum Graecas orationes explicarem. Quibus lectis hoc assequebar, ut cum ea quae legeram Graece*[3]), *Latine redderem, non solum optimis verbis uterer et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae nova nostris essent, dummodo essent idonea.* Item: Quint. X 5, 2[4]).

β) Cic. de or. III 75. *Paululum sitiens istarum artium, de quibus loquor* (sc. rhetoricarum), *gustavi, quaestor in Asia cum essem, aequalem fere meum ex Academia rhetorem nactus Metrodorum . . ., et inde decedens Athenis . . .*

de or. II 365: . . . *Saepe ego doctos homines — quid dico saepe? immo non nunquam, saepe enim qui potui, qui puer in forum venerim nec inde unquam diutius quam quaestor afuerim?*

---

1) Cf. p. 12, adn. 1.

2) v. 86 M.: *Crassum habeo generum ne rhetoricoterus tu seis* (loquitur Q. Mucius Scaevola augur, cf. C. Cichorius, Untersuchungen zu Lucilius, Berlin 1908, p. 237 sqq.); v. 386 sq. M.:

. . . . . . Horum est
Iudicium — Crassis, ut dixi, scribimus, ante —
Hoc est, quid sumam, quid non, in quoque locemus.

(sic corr. Cichorius l. c. p. 300).

3) De or. II 2 . . . *illum et Graece sic loqui, nullam ut nosse aliam linguam videretur.*

4) Crassus Graecis scriptoribus in exercitationibus usus esse primus traditur; Latinis poetis utebatur C. Carbo, cf. Cic. de or. I 154.

— *sed tamen audivi . . . et Athenis quom essem doctissimos viros et in Asia istum ipsum Scepsium Metrodorum, cum de iis ipsis rebus disputaret.*

γ) Cic. de or. III 93: . . . *etiam Latini, si dis placet, hoc biennio magistri dicendi extiterunt; quos ego censor edicto meo*[1]) *sustuleram, non quo, ut nescio quos dicere aiebant, acui ingenia adulescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam.*

Tac. dial. 35: *At nunc adulescentuli nostri deducuntur in scholas istorum qui rhetores vocantur quos paulo ante Ciceronis tempora extitisse nec placuisse maioribus nostris ex eo manifestum est, quod a Crasso et Domitio censoribus cludere, ut ait Cicero, „ludum impudentiae" iussi sunt.*

c) De ceterarum litterarum studiis.

α) Cic. Brut. 145: . . . *ut eloquentium iurisprudentissimus Crassus, iurisperitorum eloquentissimus Scaevola putaretur.* Item: Brut. 148; de or. I 190; II 142[2]).

---

[1]) Gell. XV 11, 2: . . . *Cn. Domitius Ahenobarbus et L. Licinius Crassus censores de coercendis rhetoribus Latinis ita edixerunt. „Renuntiatum est nobis esse homines, qui novum genus disciplinae instituerunt, ad quos iuventus in ludum conveniat; eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetoras; ibi homines adulescentulos dies totos desidere. Maiores nostri, quae liberos suos discere et quos in ludos itare vellent, instituerunt. Haec nova, quae praeter consuetudinem ac morem maiorum fiunt neque placent neque recta videntur. Quapropter et his qui eos ludos habent et his qui eo venire consuerunt, visum est faciundum, ut ostenderemus nostram sententiam nobis non placere"*; quod edictum spurium esse satis probasse mihi videtur Marxius (prolegg. ad inc. auct. ad C. Her. p. 144 sqq.), nisus Mommseni Röm. Forsch. II 419; 427. — Idem Marxius eodem loco non tam rhetores Latinos (ut rectius dicam: Plotium Gallum) quam Marium, Plotii studiorum fautorem, illo edicto petitos esse docuit; perverse Cima (p. 180, adn. 1): „infatti non sapremmo spiegarci in tal caso (sc. si recta esset coniectura Marxii) come mai Domizio, inclinato al pari di Plozio, al partito populare, si lasciasse indurre a firmare l'editto"; nam minime Domitius homo popularis fuit, immo a. 100 cum nobilibus Saturnini seditionem oppresserat (Cic. pro Rab. perd. 21), erat amicus Q. Metelli Macedonici (Gell. XV 13, 6, XVII 2, 7), erat affinis Catuli (Ascon. p. 71 K.-Sch.); vide Muenzer, Pauly-Wiss. V, 1326.

[2]) de or. II 142: . . . *Crassus . . . est . . . pollicitus ius civile, quod nunc diffusum et dissupatum esset, in certa genera coacturum et ad artem facilem redacturum* . . . (cf. et de or. I. 190). Quae verba non ad Crassi de iure civili librum qui nullus unquam fuit sed ad Ciceronis „de iure civili in artem redigendo" spectare nemo negabit; cf. Enderlein p. 9; Teuffel-Schwabe ed. 5, § 152, 4.

Cic. Brut. 102: *L. Coelius Antipater scriptor quemadmodum videtis fuit, ut temporibus illis luculentus, iuris valde peritus, multorum etiam ut L. Crassi magister.*

β) Cic. de or. I 45 (Crassus): *Audivi summos homines cum quaestor ex Macedonia venissem Athenas florente Academia, ut temporibus illis ferebatur, quom eam Charmadas et Clitomachus et Aeschines optinebant. Erat etiam Metrodorus, qui cum illis una ipsum illum Carneadem diligentius audierat, hominem omnium in dicendo, ut ferebant, acerrumum et copiosissimum; vigebatque auditor Panaetii . . . Mnesarchus et Peripatetici Critolai Diodorus. Multi erant praeterea clari in philosophia* e. q. s.

de or. III 145: (Cotta ad Crassum): . . . *me quidem in Academiam totum compulisti.* Cf. de or. I 57, 93[1]).

γ) Cic. pro Archia 6: *Archias . . . erat temporibus illis iucundus Q. Metello illi Numidico . . . vivebat cum Q. Catulo et patre et filio, a L. Crasso colebatur* e. q. s.

de or. III 194: *Quod si Antipater ille Sidonius quem tu probe, Catule, meministi, solitus est versus hexametros aliosque . . . fundere ex tempore*[2]).

De ratione dicendi[3]).

Cic. Brut. 165: . . . *et vero fuit in hoc etiam popularis dictio excellens.*

a) Brut. 143: *erat summa gravitas.*

Tac. dial. 26: . . . *aut L. Crassi maturitatem.*

Macr. V I, 16: *Sunt . . . stili dicendi duo . . . unus est maturus et gravis, qualis Crasso assignatur.*

b) Brut. 143: . . . *erat cum gravitate iunctus facetiarum et urbanitatis oratorius, non scurrilis lepos.*

---

1) De Crassi disputationibus cum Graecis philosophis habitis vide p. 3. adn. 3; de studiis philosophicis vide p. 9 sq.

2) Vtrum Romae an alibi poetam viderint, in dubio relinquitur; cf. A. Hillscher: Hominum litteratorum Graecorum ante Tiberii mortem in urbe Roma commoratorum historia critica, Jahrbücher f. klass. Philologie, suppl. XVIII, p. 401; Reitzenstein, Pauly-Wiss. I 2513; Cichorius, Rh. M. LXIII 212.

3) De Crassi dicendi generis imitatoribus vide p. 13, adn. 3; addendus est C. Papirius Carbo Arvina, praetor a. 82, de quo confer Cic. Brut. 221 et Mar. Plot. Sacerd. (G. L. VI 461, 26 sqq. K.; Norden, l. c. p. 173 sq.).

Brut. 158: *multae et cum gravitate facetiae; idem et perornatus et perbrevis; iam in altercando invenit parem neminem*[1]).

de or. II 220: *non enim fere quisquam reperietur praeter Crassum in utroque genere leporis excellens, et illo, quod in perpetuitate sermonis, et hoc, quod in celeritate atque dicto est.*

de or. II 228 (Antonius de Crasso): *cum omnium sit venustissumus et urbanissumus, omnium gravissumum et severissumum et esse et videri, quod isti contigit uni, id mihi vix ferendum videbatur.*

c) Brut. 143: . . . *Latine loquendi accurata et sine molestia diligens elegantia.* Cf. § 148.

d) Cic. Brut. 143: . . . *in disserendo mira explicatio; cum de iure civili, cum de aequo et bono disputaretur, argumentorum et similitudinum copia. Nam ut Antonius coniectura movenda aut sedanda suspicione aut excitanda incredibilem vim habebat, sic in interpretando, in definiendo, in explicanda aequitate nihil erat Crasso copiosius.* Cf. § 162.

Brut. 158: *Paratus . . . veniebat Crassus, exspectabatur, audiebatur; a principio statim, quod erat apud eum semper accuratum, exspectatione dignus videbatur.*

e) Brut. 158: . . . *non multa iactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra supplosio pedis* (item: de or. III 47)*; vehemens et interdum irata et plena iusti doloris oratio.*

de or. II 225 (cf. p. 51, v. 23 sqq.): *Pro di immortales, quae fuit illa, quanta vis! quam inexspectata! quam repentina! quom coniectis oculis, gestu omni et inminenti, summa gravitate et celeritate verborum* e. q. s.

---

1) De Crassi facetiis et altercatione cf. p. 10, adn. 2; exempla extant multa: p. 39, 42 sq., 45 sq., 50 sqq., 53 sq. Adiungendum est hoc: Cic. de or. II 259: . . . *illud quod tu, Crasse, nuper ei qui te rogasset num tibi molestus esset futurus, si ad te bene ante lucem venisset: Tu vero, inquisti, molestus non eris. Iubebis igitur te, inquit, suscitari? et tu: Certe negaram te molestum futurum.* (Dictum quod extat apud Plinium (n. h. XXXV 25) non Crasso, sed C. Caesari Straboni tribuendum est, cf. Cic. de or. II 266.) — Accedit quod Q. Granius, facetus ille praeco, Crassi familiaris erat: Cic. Brut. 160 . . . *sed ita tacitus tribunatus ut nisi in eo magistratu cenavisset apud praeconem Granium idque nobis [bis] narravisset Lucilius* (v. 1180 M.), *tribunum plebis nesciremus fuisse.* De Granio locos in unum collegit Marx in comment. ad Luc. sat. p. 153 sq.

f) Cic. Brut. 162: . . . *quin etiam comprehensio et ambitus ille verborum si sic perihodon appellari placet, erat apud illum contractus et brevis et in membra quaedam, quae κῶλα Graeci vocant, dispertiebat orationem* (*dispertibat oratione* L) *lubentius.*

Cic. or. 223: cur clandestinis consiliis nos oppugnant? cur de perfugis nostris copias comparant contra nos? *Prima sunt illa duo, quae κόμματα Graeci vocant, nos incisa dicimus; deinde tertium κῶλον illi, nos membrum, sequitur non longa — ex duobus enim versibus id est membris, perfecta comprehensio est et in spondios cadit, et Crassus quidem sic plerumque dicebat, idque ipse genus dicendi maxime probo*; item Quint. IX 4, 101[1]).

Orationes.

1. Cic. Brut. 159 sq.: *Versatus est in omni fere genere causarum, mature in locum principum oratorum venit. . . . Multae deinde causae.*

de or. II 365 (Crassus:) . . . *qui puer in forum venerim nec inde unquam diutius quam quaestor afuerim.*

2. Edidisse Crassum orationes in publicis causis habitas et aliarum orationum reliquisse capita *exposita nec plane explicata* docent hi Ciceronis loci: Brut. 160 (bis), 161, 162, 163, 164; de off. II 63. Neque vero editarum numerus magnus erat: Cic. orat. 132: . . . *sed Crassi perpauca sunt*; de or. II 8 (de Crasso et Antonio): *Nam si ex scriptis cognosci ipsi suis potuissent, minus hoc fortasse mihi esse putassem laborandum; sed cum alter non multum, quod quidem extaret, et id ipsum adulescens, alter nihil admodum scripti reliquisset, deberi hoc a me tantis hominum ingeniis putavi, ut, quom etiam nunc vivam illorum memoriam teneremus, hanc immortalem redderem, si possem.*

---

1) Cf. p. 56. Ex locis quos attuli Crassum Asiaticum genus dicendi secutum esse elucet; quod optime probatur et fragmentis quae extant et quod Coelii Antipatri, de cuius dicendi genere egit Norden l. c. p. 176 sq., consuetudine utebatur (p. 33) et quod ipse quaestor in Asia erat (de or. III 75, cf. p. 31 sq.); vide Marx, prolegom. ad inc. auct. ad C. Her. p. 99; Norden, l. c. p. 174; Fr. Blass, Die griechische Beredsamkeit, Berlin 1865, p. 120. Die Rhythmen der asianischen und römischen Kunstprosa, Leipzig 1905, p. 104 sqq. — Stoicis quantopere displicuerit Crassi dicendi genus, docet Cicero (de or. I 227: de Crassi legis Serviliae suasione): *Itaque haec cum a te divinitus ego dicta arbitrarer, P. Rutilius Rufus, homo doctus et philosophiae deditus, non parum commode, sed etiam turpiter et flagitiose dicta esse dicebat.*

1. Oratio in C. Papirium Carbonem.

A.119.

Argumentum.

C. Papirius Carbo cos. a. 120, cum antea popularium partes studiosissime secutus esset, post Ti. Gracchi necem ad nobiles defecerat[1]. Quare popularibus iratis auctoribus[2] cum equites tum iudicia tenerent, anno post consulatum suum a. L. Licinio Crasso adulescente unius et viginti annorum[3] (maiestatis?) accusatus est. Quamquam in prima actione Crassum satis timide *et exanimate* se gessisse constat (de or. I 121), tamen Papirius condemnatus est. Vtrum tum Carbo ipse se defenderit an de rebus suis desperans orationem pro se habere omnino non ausus sit, diiudicari non potest; reus ipse se interfecit[4].

Cic. de or. III 74: *quippe qui omnium maturrime ad publicas causas accesserim annosque natus unum et viginti nobilissimum hominem et eloquentissimum in iudicium vocarim.*

Cic. Brut. 159; de or. I 40; de off. II 47; Tac. dial. 34[5].

Cic. de or. II 170: . . . *ut Crassus adulescens:* Non si Opimium defendisti[6], Carbo, idcirco te isti bonum civem putabunt. Simulasse te et aliquid quaesisse perspicuumst, quod Ti. Gracchi mortem saepe in contionibus deplorasti, quod P. Africani necis socius fuisti, quod eam legem in tribunatu tulisti[7], quod semper a bonis dissedisti.

---

v. 23. *quod eam* L] *quod* m; *quidem* HAE.

---

[1]) Cic. Brut. 103; Lael. 39; Ziegler, l. c. p. 4.

[2]) Falso Petersen (l. c. p. 11) optimatium opera eum accusatum esse scripsit.

[3]) Cic. de or. III 74 (vide supra); non recte Tac. dial. c. 34: *nono decimo aetatis anno L. Crassus C. Carbonem; . . . Caesar Dolabellam . . . orationibus insecuti sunt.* Quo loco non Tacitum sed librarium errasse credo cum Nipperdeio (opusc. p. 322 sqq.). Tartara (l. c. p. 215, adn. 1) Tacitum errasse et Crassum cum Hortensio (cf. Cic. Brut. 229) mutasse coniecit.

[4]) Cic. Brut. 103; de or. I 40; II 170; III 74. — Val. Maximus (III 7, 6) Carbonem tum a Crasso *in exilium missum esse* scripsit. — Crassum ipsum postea illius accusationis paenituisse tradidit Cicero (in Verr. III 3).

[5]) Incertum num ad hanc causam spectet quod narrat Valerius Maximus (VI 5, 6) de Cn. Carbone quodam a L. Crasso accusato, vide indicem editionis Kempfianae.

[6]) Cic. de or. II 106, 165, 169.

[7]) Cic. de leg. III 33 sqq., Daremberg-Saglio l. c. III 2, 1157.

2. Oratio de colonia Narbonensi.

A. 118.

Argumentum.

Vellei. I 15, 5: *Narbo Martius in Gallia Porcio Marcioque consulibus abhinc annos circiter CLIII deducta colonia est.* Cum senatus illam legem dissuaderet, Crassus ut animos civium sibi conciliaret, legem suasit et ipse lege perlata coloniam deduxit[1]).

Cic. Brut. 160: *voluit adulescens in colonia Narbonensi causae popularis aliquid attingere eamque coloniam ut fecit, ipse deducere; extat in eam legem senior, ut ita dicam, quam illa aetas ferebat oratio.*

Cic. pro Cluentio 140: . . . *in dissuasione rogationis eius quae contra coloniam Narbonensem ferebatur, quantum potest, de auctoritate senatus detrahit.*

de or. II 223; Quint. VI 3, 44[2]).

3. Oratio pro Licinia incestus.

A. 114 exeunte aut a. 113 ineunte.

De argumento vide quae in Antonii oratione pro se habita tractanda exposui, p. 16 sq. Crasso ut propinquam servaret, non contigit[3]).

Cic. Brut. 160: . . . *defendit postea Liciniam virginem, cum annos XXVII natus esset; in ea ipsa causa fuit eloquentissimus orationisque eius scriptas quasdam partes reliquit.*

4. Suasio legis Serviliae.

A. 106.

Argumentum.

Q. Servilius Caepio consul anno 106 lege iudiciaria[4]) equitibus iudicia quae iis a C. Graccho data erant eripuit. Paucis

---

v. 5. CLIII AP] CXLVI corr. Lipsius.

---

1) Cf. Vellei. III 7; Eutrop. IV 3; Kornemann, Pauly-Wiss. IV 522 s. v. colonia (N. 31).

2) Addunt Ellendtius (l. c. p. 70) et Meyer (p. 297) Cic. de off. II 63, quo loco senatus merita valde a Crasso laudantur. Sed quo modo tandem in ea oratione in qua quantum potuit de senatus auctoritate detraxit, merita eiusdem senatus ad caelum efferre potuit! Immo suasioni legis Serviliae (or. 4) locum tribuendum esse puto.

3) Ascon. p. 40, 19 sq. K.-Sch.; Liv. per. 63; Macrob. I 10; Iul. Obsequ. 97.

4) Daremberg-Saglio l. c. III 2, p. 1164.

annis post altera lege Servilia[1]) (sc. Servilii illius Glauciae) equitibus iudicia reddita sunt. Prioris legis suasor extitit Crassus et cum in oratione de colonia Narbonensi deducenda *quantum posset de auctoritate senatus detraxisset*[2]), in hac oratione quantum poterat senatum laudavit[3]).

Cic. Brut. 161: *Omnibus quidem aliis . . . in magistratibus* (sc. collega Crassi Scaevola fuit), *sed tribunus anno post fuit, eoque in rostris sedente suasit Serviliam legem Crassus.*

Cic. Brut. 164: *Mihi quidem a pueritia quasi magistra fuit . . . illa in legem Caepionis oratio; in qua et auctoritas ornatur senatus, quo pro ordine illa dicuntur* (item: Cic. de or. II 223; pro Cluentio 140, de off. II 63[4]), Quint. VI 3, 44), *et invidia concitatur in iudicum et in accusatorum factionem, contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit*[5]). *Multa in illa oratione graviter, multa leniter, multa aspere, multa facete dicta sunt; plura etiam dicta quam scripta, quod ex quibusdam capitibus expositis nec explicatis intellegi potest.* Cf. Cic. de or. I 227[6]).

Fragmenta.

I. Cic. de or. I 225: Eripite nos ex miseriis, eripite ex faucibus eorum, quorum crudelitas[7]) nostro sanguine non potest expleri; nolite sinere nos cuiquam servire nisi vobis universis, quibus et possumus et debemus.

Cic. parad. V 41: *Quid valet igitur illa eloquentissimi viri, L. Crassi, copiosa magis quam sapiens oratio: Eripite nos ex servitute*[8])!

Inc. auct. ad C. Her. IV 3, 5 (ed. Marx): *Ponimus hoc exemplum a Crasso: Quibus possumus et debemus.*

II. Prisc. (G. L. II 428, 16 sqq. H.): . . . *ex quo impersonale est miseret et miseretur; Lucius Crassus in legis Serviliae suasione:* Neque me minus vestri quam mei miserebitur[9]).

---

v. 27. *quibus* HPB] *quod* P²B²CΠE.

---

[1]) Daremberg-Saglio l. c. III 2, p. 1164.

[2]) Cic. pro Cluentio 140; vide v. 37.

[3]) Vide Crassi orationem pro Cn. Planco contra M. Brutum, p. 50, v. 17 sqq.

[4]) Cf. p. 37 adn. 2. [5]) Vide infra orationis quae extant fragmenta.

[6]) Cf. p. 35 adn. 1 ex. — [7]) De interpunctione cf. p. 56.

[8]) Hoc loco quin Cicero non ipsam orationem inspexerit, sed ex memoria fragmentum attulerit nemo dubitabit.

[9]) Hoc unum Crassi fragmentum apud grammaticos invenitur; cf. p. 16 adn. 1.

*[1]) III. Cic. orat. 219: . . . *ut apud Crassum:* Nam ubi lubido dominatur, innocentiae leve praesidium est.

Item Quint. IX 4, 109 (ex Cicerone).

5. Incertae contiones in quibus Crassus C. Memmium tr. pl. anni 111 petivit.

Ante a. 100[2]).

Argumentum.

Crassum cum a nobilibus staret cum Memmio qui nobilibus inimicissimus esset, saepissime in contionibus et orationibus et altercationibus dimicasse et per se intellegitur et his fragmentis probatur:

I. Cic. de or. II 240: *Duo sunt genera facetiarum, quorum alterum re tractatur, alterum dicto. Re, siquando quid tamquam aliquae fabellae narrantur, ut olim tu, Crasse, in Memmium comedisse eum lacertum Largii, quom esset cum eo Tarracinae de amicula rixatus. Salsa ac tamen a te ipso ficta narratio. Addidisti clausulam tota Tarracina tum omnibus in parietibus inscriptas fuisse litteras LLLMM. Quom quaereres id quid esset, senem tibi quendam oppidanum dixisse:*

„Lacerat lacertum Largi mordax Memmius"[3]).

II. Cic. de or. II 267: . . . *velut tu, Crasse, in contione:* ita sibi ipsum magnum videri Memmium, ut in forum descendens caput ad fornicem Fabii demitteret[4]).

v. 23. *Fabii* L] *Fabi* ε; *Fabianum* vg (sed cf. Mommsen: „sul fornice Fabiano", Ges. Schriften V. Bd., Hist. Schriften II 47 sqq.).

[1]) Asterisco insignivi fragmenta ea quae a veteribus scriptoribus sine orationis titulo tradita ipse certae orationi tribui posse existimo. — Cum Meyero hoc fragmentum huic orationi tribui comparans fr. I: invehitur Crassus in equitum mala iudicia.

[2]) Nam hoc anno Memmius consulatum petens Glaucia auctore occisus est: Liv. per. 69; App. b. c. I 32; Flor. II 4, 4 (III 16, 4). Cima (l. c. p. 164 adn. 1) Ellendtium (p. 73) et Drumannum (IV 63) secutus, Crassum in Memmium legem Serviliam (cf. p. 37 sqq.) dissuadentem invectum esse coniecit (a. 106); neque tamen quicquam de Memmio illius legis dissuasore constat.

[3]) Similiter Cic. de or. II 280: . . . *ut cum Scaurus accusaret Rutilium ambitus, cum ipse consul esset factus et in eius tabulis ostenderet litteras A. F. P. R. idque diceret esse ‚actum fide P. Rutili', Rutilius autem ante factum, post relatum, C. Canius eques Romanus, quom Rufo adesset, exclamat neutrum illis litteris declarari. Quid ergo? inquit Scaurus; Aemilius fecit, plectitur Rutilius.* — Ut hoc loco Memmii libidinis, ita aliis (Frontin. IV 1, 1; Plut. apopth. Scip. 17) luxuriae mentio fit.

[4]) Falso intellexit dictum Quintilianus VI 3, 67: . . . *ut quod refert*

6. Laudatio Q. Servilii Caepionis.

A. 95.

Cic. Brut. 162: *Sed est etiam L. Crassi in consulatu pro Q. Caepione defensiuncula non brevis ut laudatio, ut oratio autem brevis.*

Qui locus cum propter sanandam corruptelam tum propter nomen clientis magnas difficultates praebet. Omnes adhuc illam defensiunculam vel laudationem pro Q. Servilio Caepione, proconsule a. 105, habitam esse scripserunt; quem propter cladem apud Arausionem una cum Cn. Mallio Maximo consule acceptam eodem anno tribunis plebis, imprimis Norbano, auctoribus bonis privatum, insequenti anno senatu motum, anno 103 Saturnini rogatione e civitate eiectum esse vixque mortem effugisse supra docuimus[1]). Tum Crassum pro Caepione verba fecisse coniecerunt Lange, Oette, Enderlein, Stangl, qui scribi iubent: . . . *L. Crassi peculatus pro Q. Caepione:* dicunt aurum Tolosanum, a. 106 a Caepione consule e templo Tolosae raptum[2]). Neque tamen quicquam de illa defensione constat. Immo retinenda est codicis lectio: . . . *L. Crassi in consulatu,* i. e. a. 95. Meyer (p. 302)

---

v. 3. *in consulatu* cd] *peculatus* Lange.

v. 4. *defensiuncula* scripsi Langium secutus] *defensione iuncta* cd; *defensio non brevis* (om. *iuncta*) Piderit; *laudatio cum defensione iuncta* Petersen (l. c. p. 66); *ex consulatu (peculatus) r(ei) Q. Caepionis defensio minuta* Stangl, qui et conicit *in consulatu pro Q. Caepione (testimonii loco oratio) defensione tincta.*

Cicero de homine praelongo, caput eum ad fornicem Fabium offendisse, recte Ellendt „de homine vano verba fieri". Cf. Lucil. v. 242 M (poeta fortasse Crassum ipsum illudentem Memmium inducit): *si nosti, non magnus homo est, nasutus, macellus;* vide Cichorius, l. c. p. 281 sqq.

[1]) Cf. p. 19 et 22 sqq.

[2]) Cic. de n. d. III 74; Dio Cass. fr. 90, 91 D; Strabo IV 113; Iustin. XXXII 3, 11. — Nec minus falso Cima (l. c. p. 175 adn. 1): . . . forse la soluzione più probabile è questa: che le parole *in consulatu* siano realmente una interpolazione di qualcuno che pensava al consolato di Cepione (at Caepio a. 105 proconsul, non consul fuit) e che *defensione iuncta laudatio* voglia dire: la *laudatio* che si legge aggiunta in appendice alla difesa fatta di sè da Cepione stesso, difesa citata da Cornificio. (sc. I 14, 24, quo ex rhetoris loco num tunc ipse Caepio se defenderit, minime elucet.)

causam anno 95 actam esse recte scripsit, sed habitam esse oratiunculam Norbano tum tr. pl. Caepionem maiestatis accusante falso coniecit[1]). Mommsen de hac causa sic scripsit (R. G. II 180 adn.): „Crassus sprach als Konsul, also 95, für Caepio; was er aber offenbar nicht als dessen Sachwalter tat, sondern als Norbanus wegen seines Verfahrens gegen Caepio im Jahre 95 von P. Sulpicius Rufus zur Verantwortung gezogen ward“ [2]). Primo obtutu verisimillima videtur esse Mommseni coniectura; nam et Norbani causam inter annos 96—93 actam esse constat[3]), et Crassus Caepionis familiaris erat[4]), et Norbani accusator, Sulpicius adulescens, Crassi discipulus erat et Antonium ut Norbanum clientem suum recte fecisse demonstraret, in Caepionem cladis auctorem acerbissime invectum esse Cicero tradidit[5]). Tamen hanc quoque coniecturam claudicare optime demonstravit Fr. Von der Muehll[6]) sic disputans: primum si Crassus „pro Caepione in Norbanum“ dixisset, Sulpicium in accusatione adiuvasset, cuius rei in longa Antonii narratione coram Crasso habita vestigium extaret; deinde Norbani accusationem, etiamsi Caepio in ea laudatus esset, Cicero nunquam *defensionem* dixisset. Von der Muehll hanc causam omnino non ad hunc Caepionem, immo ad Q. Servilium Caepionem minorem natu qui quam acriter quaestor urbanus anno 100 Saturnini seditionem oppresserit, nemo nescit[7]) et quem in iudiciis multum versatum esse constat[8]), referendam esse scripsit. Quamquam quomodo res se habeat, dilucide diiudicari non potest, tamen mihi quidem Von der Muehllii coniectura probabilior quam Mommseni videtur esse.

---

[1]) In eundem errorem inciderunt Piderit (in comment. Cic. „de oratore“ p. 21) et Kroll (in „Bruti“ comm. p. 98).

[2]) Mommsenum secuti sunt Ziegler, l. c. p. 13; Petersen, l. c. p. 66.

[3]) Cf. p. 22 sqq.

[4]) Cf. p. 37 sq.

[5]) Cf. p. 25 sq.

[6]) Fr. Von der Mühll, de L. Appuleio Saturnino tribuno plebis, diss. Basil. 1906, p. 63 adn. 2.

[7]) Cf. Mommsen, R. G. II 203.

[8]) Cf. Von der Mühll, l. c. p. 66; Meyer p. 320 sqq.

7. Oratio pro M'. Curio apud centum viros.

Inter a. 95 et 92[1]).

Argumentum,

Quod Boethius praebet[2]), hoc loco ponatur: „Causa Curiana fuit huiusmodi: Quidam praegnantem uxorem relinquens scripsit heredem postumum, eique alium substituit secundum qui Curius vocabatur, ea condicione, ut, si postumus qui intra menses decem proximos nasceretur, ante moreretur, quam in suam tutelam pervenisset, id est, ante obiret diem, quam testamentum facere posset, secundus heres succederet; quod si ad id tempus pervenisset, quo iam firmo iudicio in suam tutelam receptus iure civili instituto posset herede defungi, secundus heres, id est Curius, non succederet: quae vocatur substitutio pupillaris. Quaesitum est, an valeret ita instituta ratio. Crassus igitur plurima protulit exempla, quibus ita institutus heres obtinuisset hereditatem, quae exemplorum commemoratio iudices movit.“

Uxor autem omnino praegnas non fuerat[3]). Itaque decem mensibus post M'. Curius secundus heres mortui bona sibi vindicavit; abnuit M. Coponius, uxoris illius propinquus. Coponii causam egit Q. Mucius Scaevola[4]), Crassus M'. Curii. Crassum superiorem tum discessisse constat[5]).

Cic. Brut. 144 sqq., 256; de or. I 180, 238, 242; de inv. II 122; pro Caec. 53; Quint. VII 6, 9 sq.

Fragmenta.

1. Cic. Brut. 197: *at vero, ut contra Crassus* *a b a d u l e s c e n t e d e l i c a t o, q u i i n l i t o r e a m b u l a n s* scalmum *r e p e r i s s e t o b e a m q u e r e m a e d i f i c a r e n a v e m c o n c u p i v i s s e t, e x o r s u s e s t s i m i l i t e r S c a e v o l a m e x u n o s c a l m o c a p t i o n i s c e n t u m v i r a l e i u d i c i u m h e r e d i t a t i s e f f e c i s s e,* + *hoc ille initio con-*

v. 29. *hoc ille initio, consecutis*: Ellendt et vg,] *hoc in illo initio consecutus* L.

[1]) Post 95: Brut. 145: *ab his patronis aequalibus et iam consularibus causa illa dicta est.* Propius annum 92 habitam esse orationem iudico, id quod elucere mihi videtur cum ex Cic. de or. I 180 (*nuper*) tum ex Cic. pro Caecina 53 (Cicero: *paulo antequam nos in forum venimus*).

[2]) In comment. in Cic. top. (Cic. op. IV 341 Or.).

[3]) Quint. VII 6, 9 sq.; Cic. de inv. II 122, alibi.

[4]) Meyer, p. 318 sq.

[5]) Cic. Brut. 145 multisque locis.

secutis + multis eiusdem generis sententiis delectavit animosque omnium qui aderant in hilaritatem a severitate traduxit.

2. Cic. l. c. *deinde hoc voluisse eum qui testamentum fecisset, hoc sensisse: quoquo modo filius non esset, qui in suam tutelam veniret, sive non natus sive ante mortuus, Curius heres ut esset: ita scribere plerosque et id valere et valuisse semper. Haec et multa eiusmodi dicens fidem faciebat.* Cic. de or. I 243 (Antonius): *ac mea quidem sententia — frequens enim te audivi atque affui — multo maiorem partem sententiarum sale tuo et lepore et politissimis facetiis pellexisti, cum et illud nimium acumen illuderes et admirarere ingenium Scaevolae, qui excogitasset „nasci prius oportere quam emori“, cumque multa colligeres et ex senatus consultis et ex vita ac sermone communi non modo acute sed etiam ridicule et facete, ubi si verba, non rem sequeremur, confici nihil posset. Itaque hilaritatis plenum iudicium ac laetitiae fuit.* Item: Boeth. l. c.; Cic. top. 44; de or. II 140 sq.; Quint. VII 6, 9 sq.

3. Cic. Brut. 198: *Deinde aequum bonum, testamentorum sententias voluntatesque tutatus est: quanta esset in verbis captio cum in ceteris rebus tum in testamentis, si neglegerentur voluntates; quantam sibi potentiam Scaevola assumeret, si nemo auderet testamentum facere postea nisi de illius sententia.*

Cic. de or. II 24 (Crassus): *Itaque illud ego quod in causa Curiana Scaevolae dixi, non dixi secus ac sentiebam:* Nam si, *inquam,* Scaevola, nullum erit testamentum recte factum nisi quod tu scripseris, omnes ad te cives cum tabulis veniemus, omnium testamenta tu scribes unus. Quid igitur? *inquam,* quando ages negotium publicum? Quando amicorum? Quando denique nihil ages? *Tum illud addidi:* Mihi enim liber esse non videtur, qui non aliquando nihil agit.

4. Cic. Brut. 198: *Haec cum graviter tum ab exemplis copiose tum varie tum etiam ridicule et facete explicans eam admirationem assensionemque commovit, dixisse ut contra nemo videretur;* item: de or. II 221.

---

v. 34. *facete* corr. vg] *facile* L; item Brut. 109.

8. Oratio censoria contra Cn. Domitium Ahenobarbum.

A. 92.

Argumentum.

Crassus censor a Cn. Domitio Ahenobarbo collega[1]) propter nimiam luxuriam[2]) nota affectus[3]) apud populum oratione se purgavit.

Cic. Brut. 162: . . . *postrema censoris oratio, qua anno duodequinquagesimo usus est.*

Cic. Brut. 164: *Ipsa illa censoria contra Cn. Domitium collegam non est oratio, sed quasi capita rerum et orationis commentarium paulo plenius; nulla est enim altercatio clamoribus unquam habita maioribus.*

Cic. de or. II 227: *Nec enim maior contentio unquam fuit nec apud populum gravior oratio quam huius contra collegam in censura nuper neque lepore et festivitate conditior.* Cf. et de or. II 2 30.

Fragmenta.

I. Cic. de or. II 45: . . . *Crassus in illius orationis suae, quam contra collegam censor habuit, principio dixit:* Quae natura aut fortuna darentur hominibus, in iis rebus se vinci posse animo aequo pati; quae ipsi sibi homines parare possent, in iis rebus se pati non posse vinci.

II. Suet. Nero, c. 2, 2: . . . *in hunc* (sc. Domitium) *dixit Licinius Crassus orator* non esse mirandum, quod aeneam barbam haberet, cui os ferreum, cor plumbeum esset.

III. a) Plin. n. h. XVII 1, 1 sqq.: *Natura arborum terra marique sponte sua provenientium dicta est; restat earum quae arte et humanis ingeniis fiunt verius quam nascuntur. Sed prius ⟨mi⟩rari succurrit quae retulimus paenuria pro indiviso*

v. 28. *mirari* editores coll. indice libri XVII] *arari* codd.
v. 28. *quae* cd. Chiffletianus et Mayhoff] *qua* DdE.

[1]) De eo cf. Muenzer, Pauly-Wiss. V 1324; huius op. p. 32 adn. 1 ex.

[2]) Cf. causam Sergii Oratae p. 53 sq.; Plin. n. h. XVII 6.

[3]) Mommsen, St. R. II 385 adn. 1: . . . aber auch die Vorladung und Notierung des Zensors durch den Kollegen (Liv. XXIX 27, 9: agitur de M. Livio et C. Claudio Nerone censoribus anni 104) ist zwar materiell wirkungslos, da ohne den Consens des Kollegen die nota nicht in Kraft treten kann (Mommsen, l. c. p. 358), aber formell nicht fehlerhaft. Cf. M. Nowack, Die Strafverhängungen der Censoren, Bresl. diss. 1909 p. 48. — Cf. et Scipionis Aemiliani censoris orationem, qua petivit L. Mummium collegam: Val. Max. VI 4, 2; inc. auct. de vir. ill. 58, 9; Nowack, l. c. p. 39 sq.

possessa feris, depugnante cum his homine circa caducos fructus, circa pendentes vero et cum alitibus, in tanta deliciarum pretia venisse, clarissimo ut equidem arbitror, exemplo L. Crassi atque Cn. Domiti Ahenobarbi. Crassus orator fuit in primis nominis Romani. Domus ei magnifica, sed aliquanto praestantior in eodem Palatio Q. Catuli, qui Cimbros cum C. Mario fudit, multo vero pulcherrima consensu omnium aetate ea in colle Viminali C. Aquili, equitis Romani clarioris illa etiam quam iuris civilis scientia, cum tamen obiecta Crasso sua est[1]). *Nobilissimarum gentium ambo censuram post consulatus simul gessere anno conditae urbis DCLXII frequentem iurgiis propter dissimilitudinem morum. Tum Cn. Domitius, ut erat vehemens natura, praeterea accensus odio . . . graviter increpuit, tanti censorem habitare,* |$\overline{LX}$| *HS pro domo eius identidem promittens, et Crassus, ut praesens ingenio semper, ut faceto lepore sollers* addicere se *respondit* exceptis sex arboribus. *Ac ne uno quidem denario, si adimerentur, emptam volente Domitio Crassus:* Utrumne igitur ego sum, *inquit,* quaeso, Domiti, exemplo gravis et ipsa mea censura notandus, qui domo, quae mihi hereditate obvenit, comiter habitem, an tu, qui sex arbores |$\overline{LX}$| aestimes? *haec fuere lotae patula ramorum opacitate lascivae . . .*[2]).

---

v. 1. *possessa* Mayhoff] — *essa a* a D^2v; *essas a* r H et Detlefsen.
v. 9. „an *tum tamen?*“ adn. Mayh.
v. 14. |$\overline{LX}$| *HS* corr. Mayh. coll. Val. Max. loco qui sequitur] *his* d *tis* G; *is* D; *is* E; *milia nummorum* v; *sestertium milies* G; *HS* S; *HS* D; $\overline{M}$ *HS* Detlefsen.
v. 19. *et* G D] *et ab* r v.
v. 21. |$\overline{LX}$| corr. Mayh.] *CX* D^1; om. r v; *HS milies* G; *HS* S; $\overline{M}$ D.

---

1) Cf. Plin. n. h. XXXVI 7, quo loco Brutus accusator Crassum *Venerem Palatinam* increpat. — De Crassi domo cf. Muenzer (Beiträge zur Quellenkritik der Naturgeschichte des Plinius, Berlin 1897, p. 328 adn. 1): es ist übrigens dasselbe Haus oder wenigstens dasselbe Grundstück, das nacheinander dem Crassus und dem Scaurus gehörte. (sc. praet. a. 56, privigno Sullae. Pauly-Wiss. I 588 sqq., num. 141). In der Zeit des Asconius und Plinius besaß es ein gemeinsamer Bekannter dieser Schriftsteller Caecina Largus, cos. 42 n. Chr.

2) Et quae de Scauri (cf. supra adn. 1) magnificis columnis et theatro (n. h. XXXVI 113—15; cf. XXXIV 36; XXXVI 6) et quae de Crassi pretiosis arboribus et columnis (n. h. XVII 7) tradidit, ea omnia Plinium hausisse ex Cornelio Nepote docent Urlichs (Chrestom. Plin. Berol. 1857, p. 218), Traube

b) Val. Max. IX I, 4: *Cn. Domitius L. Crasso collegae suo altercatione orta obiecit, quod columnas Hymettias in porticu domus haberet*[1]. *Quem continuo Crassus quanti ipse domum suam aestimaret interrogavit atque ut respondit: sexagies sestertio,* Quo ergo eam, *inquit,* minoris fore existimas, si decem arbusculas inde succidero? *Ipso tricies sestertio: Domitius. Tunc Crassus:* Vter igitur luxuriosior est, egone qui decem columnas[2] centum milibus nummum emi, an tu, qui decem[2] arbuscularum umbram tricies sestertii summa compensas[3].

IV. Aelian. hist. anim. VIII 4 (= I 183 I.): τὴν Κράσσου τε τοῦ Ῥωμαίου μύραιναν ᾄδουσιν ἥπερ οὖν καὶ ἐνωτίοις καὶ ὁρμίσκοις διαλίθοις ἐκεκόσμητο, οἷα δήπου ὡραία κόρη, καὶ καλοῦντος τοῦ Κράσσου τὸ φώνημα ἐγνώριζεν, καὶ ἀνενήχετο, καὶ ὀρέγοντος ὁτιοῦν ᾗδε ἤσθιε προθύμως καὶ ἑτοίμως λαμβάνουσα. Ταύτην τοι καὶ ἔκλαυσεν ὁ Κράσσος, ὡς ἀκούω, τὸν βίον καταστρέψασαν, καὶ ἔθαψεν (item: Porphyr. de abstin. III 5)[4]. Καί ποτε Δομετίου πρὸς αὐτὸν εἰπόντος· ὦ μωρέ, μύραιναν ἔκλαυσας τεθνεῶσαν; ὁ δὲ ὑπολαβών, Ἐγὼ θηρίον, ἔφατο, σὺ δὲ τρεῖς γυναῖκας θάψας οὐκ ἔκλαυσας[5].

---

v. 5. *quo* L A Par.] *quanto* cod. Cauch (?) Pighii et Kempf.

(Münchner Sitzgs.-Ber. 1891, p. 405), Muenzer (l. c. p. 328); primum in indice libri XVII nomen allatum est Cornelii Nepotis; cf. I p. 54, v. 50 Mayh.

[1]) Plin. n. h. XVII 6: *ac ne quis vilem de cetero Crassi domum nihilque in ea iurganti Domitio fuisse licendum praeter arbores iudicet, ⟨et⟩iam* (add. Skutsch) *columnas VI Hymetti marmoris, aedilitatis gratia ad scenam ornandam advectas in atrio eius domus statuerat, cum in publico nondum essent ullae marmoreae.*

[2]) Decem columnas et decem arbusculas affert Valerius Maximus, ille scriptor rhetoricus; sex columnas (n. h. XXXVI 7, XVII 6; nam sic corrigendum esse credo cum editoribus; *IV* cdd.) et sex arbores Plinius, recte Muenzer, l. c. p. 328: „es liegt eine Pointe darin, daß zu dem Palast ebenso viel Säulen wie Bäume gehören".

[3]) Confudisse videtur Valerius crimina et columnarum et arborum.

[4]) Eadem fere (ex Melissi „Ineptiis" hausta? vide Muenzer, l. c. p. 360 sqq.) narrat Plinius (n. h. IX 17, 2) de Hortensio oratore et de Antonia, triumviri filia minore.

[5]) Macrob. III 15, 4 sq. . . . *Crassus vir censorius — nam cum Cn. Domitio censor fuit — . . . muraenam in piscina domus suae mortuam atratus tamquam filiam luxit. . . . neque id confiteri Crassus erubuit, sed ultro etiam . . . gloriatus est censor piam affectuosamque rem fecisse se iactitans.*

Similiter Plut. de cap. ex inim. util. c. 5 (= I 215 B.); praec. ger. reip. c. 14 ex. (= V 92 B.); de soll. anim. c. 23 (= VI 56 B.).

9. Oratio in senatu adversus L. Marcium Philippum consulem.
Habita mane Id. Sept. a. 91.

Argumentum.

Acerbissimus adversarius M. Livii Drusi tr. pl. a. 91 fuit consul L. Marcius Philippus, propugnator equitum[1]), qui iam antea lege agraria lata nec perlata[2]), quantum a senatu distaret, ostenderat[3]). Adiuverunt Drusum cum plurimi senatores[4]) tum senatus propugnatores L. Crassus et M. Aemilius Scaurus, ille princeps senatus[5]). Ineunte mense Septembri a. 91 cum *Drusi tribunatus pro senatus auctoritate susceptus infringi iam debilitarique videretur*[6]), Crassus e Tusculano reversus ut senatorum animos confirmaret senatumque a Philippi iniuriis defenderet, in senatu mane Id. Sept. orationem habuit, qua Philippum consulem acerrime petivit[7]). Qua de oratione Cicero initio tertii libri dialogi qui inscribitur „de oratore" haec tradidit.

Cic. de or. III 2—6 in. *Ut . . . Romam rediit extremo ludorum scaenicorum die, vehementer commotus oratione ea quae ferebatur habita esse in contione a Philippo, quem dixisse constabat „videndum sibi esse aliud consilium, illo senatu se rempublicam gerere non posse", mane Idibus Septembr. is et ille et senatus frequens vocatu Drusi in curiam venit. Ibi cum Drusus*

---

v. 23. *Septembr. is* Friedrich] *septembris* C; *septembr.* e; *Septembribus* ω.

---

1) Cf. Mommsen, R. G. II 213.

2) Cic. de off. II 72 sq.

3) Et de legibus a Druso latis et de rixis inter Drusum et consulem habitis vide W. Strehl, M. Livius Drusus, diss. Marp. 1887, p. 11 sqq., ubi testimonia in unum collecta sunt; cf. et E. Drzezga, die römische Bundesgenossenpolitik von den Gracchen bis zum Ausbruch des Bundesgenossenkrieges, diss. Vratisl. 1907, p. 50—67.

4) Cic. pro Cluentio 153.

5) Cic. de domo 50: . . . *M. Scauro et L. Crasso consiliariis Drusi.*

6) Cic. de or. I 24. — Drusi leges cum per saturam latae et per vim perlatae essent, abrogabat Philippus, cf. Strehl, l. c. p. 53 sqq.

7) Similiter atque hic Crassus Q. Lutatius Catulus Philippo tum obstitit; altercationis fragmentum extat de or. II 220 (II 255).

multa de Philippo questus esset, rettulit ad senatum de illo ipso, quod in eum ordinem consul tum graviter in contione esset invectus[1]). *Hic, ut saepe inter homines sapientissimos constare vidi, quamquam hoc Crasso, quom aliquid accuratius dixisset, semper fere contigisset, ut nunquam dixisse melius putaretur, tamen omnium consensu sic esse tum indicatum, ceteros a Crasso semper omnis, illo autem die etiam ipsum a se superatum. Deploravit enim casum atque orbitatem senatus, cuius ordinis a consule, qui quasi parens bonus aut tutor fidelis esse deberet, tamquam ab aliquo nefario praedone diriperetur patrimonium dignitatis, neque vero esse mirandum, si, cum suis consiliis rem publicam profligasset, consilium senatus a re publica repudiaret. Hic cum homini et vehementi et diserto et in primis forti ad resistendum Philippo*[2]) *quasi quasdam verborum faces admovisset, non tulit ille et graviter exarsit pigneribusque ablatis Crassum instituit coercere. Quo quidem in ipso loco multa a Crasso divinitus dicta esse ferebantur, cum* sibi illum consulem esse negaret, quoi senator ipse non esset. An tu cum omnem auctoritatem universi ordinis pro pignore putaris eamque in conspectu populi Romani concideris, me his existumas pignoribus terreri? Non tibi illa sunt caedenda, si L. Crassum vis coercere, haec tibi est incidenda lingua, qua vel evolsa spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit. *Permulta tum vehementissima contentione animi, ingenii, virium ab eo dicta esse constabat sententiamque eam, quam senatus frequens secutus est, ornatissimis et gravissimis verbis ut populo Romano satis fieret, nunquam senatus neque consilium rei publicae nec fidem defuisse, ab eo dictam et eundem, id quod in auctoritatibus perscriptis extat, scribendo adfuisse. Illa tamquam cycnea fuit divini hominis vox et oratio.*

v. 20. *putares* L.
v. 21. *concideres* L — *me his* l o e] *meis* ML; *me iis* H^3.
v. 29. *dictam et* l. e. O^2;] *dicta* M; om. L.

[1]) Cic. de or. I 24: *Quom igitur vehementius inveheretur in causam principum consul Philippus Drusique tribunatus pro senatus auctoritate susceptus infringi iam debilitarique videretur . . .*

[2]) De Philippi ingenio et dicendi genere vide Cic. Brut. 173, 186, de or. II 316.

Cuius senatus nemo nisi Cicero mentionem fecit. Quem non genuinae Crassi orationis cursum tradidisse, immo querelis fictis suum senatum tum (a. 55) a triumviris valde debilitatum miserari egregie disseruit Strehl[1]). Neque vero merito idem[2]) fragmenta ad verbum tradita Crassi esse negare mihi videtur; neque enim cum ille senatus in plurimorum ore aut certe memoria esset, quomodo suo arbitratu Cicero Crasso eiusmodi voces tribuere potuerit intellegitur.

Quint. VIII 3, 89: Ego te consulem putem, cum tu me non putes senatorem?

Item: XI 1, 37.

Val. Max. VI 2, 2: Non es mihi, Philippe, consul, quia ne ego quidem ⟨tibi⟩ senator sum.

Repetit fragmentum ex Valerio Maximo Ioannes Saresberiensis (Nug. Cur. VII 25 B).

10. Oratio pro C. Visellio Aculeone.

Annus incertus[3]).

Argumentum incertum.

C. Aculeo, vir iurisperitissimus[4]) et ingenio acutissimus[5]), in aliqua incerta causa adversarius fuit M. Marii Gratidiani, filii M. Gratidii, qui Antonii oratoris praefectus fuerat[6]). Aculeoni aderat Crassus familiaris eius[7]), Gratidiano Aelius Lamia. Quem perpetuo illudens (vide infra fragmentum) Crassus facile superior discessit.

Cic. de or. II 269: *Vrbana etiam dissimulatio est, quom alia dicuntur ac sentias, non illo genere, de quo ante dixi, quom contraria dicas, ut Lamiae Crassus.*

v. 13. *tibi* A^2 Par.] om. LA dett.

[1]) l. c. p. 3 sqq.; p. 5: „ . . . Diese Maskierung erklärt das auffällige Schweigen Ciceros über das Verhältnis des Tribunen zu den Bundesgenossen und den dadurch bedingten Umschwung der Senatspolitik“; p. 4 sq.: „Einen tendenziösen Anstrich hat auch das Senatsgutachten“.

[2]) p. 4 sq.

[3]) Nam cum Cicero apud M. Perpernam (consulem a. 92 cf. C. I. L. I^2 152) iudicem, non praetorem — id quod coniecerat Meyer (p. 302) et Piderit (p. 484) — causam actam esse scripserit, de anno nil certi constat.

[4]) Cic. Brut. 264; de or. I 191. [5]) Cic. de or. l. c.

[6]) Cf. p. 26. — Idem Aculeo fuit Ciceronis affinis; nam Helviam, Ciceronis materteram, uxorem duxerat (de or. II 2).

[7]) Cic. de or. I 191 . . . *C. Aculeonem qui mecum vivit semperque vixit.*

Cic. de or. II 262: *Invertuntur autem verba, ut Crassus apud M. Perpernam iudicem pro Aculeone quom diceret, aderat contra Aculeonem Gratidiano L. Aelius Lamia, deformis, ut nostis*[1]*; qui quom interpellaret odiose* Audiamus, *inquit,* pulchellum puerum, *Crassus. Quom esset adrisum, non potui, inquit Lamia, formam ipse fingere, ingenium potui. Tum hic* Audiamus, *inquit,* disertum. *Multo etiam adrisum vehementius.*

11. Oratio pro Cn. Planco[2]) contra M. Iunium Brutum[3]).

Annus incertus.

Argumentum incertum.

Cic. de or. II 220: *Quid in omni oratione Crassus* (sc. *ab arte adiuvari potuit*) *vel . . . contra accusatorem Brutum quom pro Cn. Planco diceret?*

Brutus qui prior orator in causa illa extiterat, adversario haec obiecerat:

Quint. VI 3, 44: *cum Brutus in accusatione Cn. Planci excitatis duobus lectoribus ostendisset, contraria L. Crassum eius in oratione quam de colonia Narbonensi habuerat, suasisse iis quae de lege Servilia dixerit.*

Item: Cic. de or. II 223 m.; pro Cluentio 140.

Cui crimini quomodo Crassus responderit, docent hi loci:

1. a) Cic. pro Cluent. 141 in.: *in respondendo primum exposuit utriusque rationem temporis, ut oratio ex re et ex causa habita videretur.*

b) Cic. pro Cluent. 141: *deinde ut intellegere posset Brutus, quem hominem et non solum qua eloquentia verum etiam quo lepore et quibus facetiis praeditum lacessisset, tres ipse excitavit recitatores cum singulis tabellis, quas M. Brutus, pater illius accusatoris, de iure civili reliquit*[4]). *Eorum initia cum recitarentur, ea quae vobis nota esse arbitror: „Forte evenit, ut ruri*

---

[1]) Fortasse ex illa deformitate Aelio cognomen Lamia fuit (Klebs Pauly-Wiss. I 522, No. 74).

[2]) Sic (non *Plancio* Meyer, Oette, Piderit, Petersen) scribendum esse monent codices.

[3]) De illo accusatore cf. Cic. Brut. 130; Meyer, p. 261 sq.

[4]) Vide Iurisprudentiae Anteiustinianae reliquias comp. ab. E. Huschke, ed. VI cur. Seckel-Kuebler, Lipsiae 1908, p. 7.

in Privernati essemus ego et Brutus filius", *fundum Privernatem flagitabat; „in Albano eramus ego et Brutus filius"*, *Albanum poscebat; „in Tiburti forte cum adsedissemus ego et Brutus filius"*, *Tiburtem fundum requirebat*; item: Quint. VI 3, 44.

Cic. de or. II 223 ex. et 24: . . . *noster hic facetissime tris patris Bruti de iure civili libellos tribus legendos dedit. Ex libro primo: „forte evenit, ut in Privernati essemus ego et M. filius"*. Brute, testificatur pater se tibi Privernatem fundum reliquisse. *Deinde ex libro secundo: „in Albano eramus ⟨ego et M. filius⟩"*. Sapiens videlicet homo cum primis nostrae civitatis norat hunc gurgitem; metuebat, ne quom is nihil haberet, nihil esse ei relictum putaretur. *Tum ex libro tertio . . .: „in Tiburti forte assedimus ego et M. filius"*. Vbi sunt hi fundi, Brute, quos tibi pater publicis commentariis consignatos reliquit? Quod nisi puberem te, *inquit*, iam haberet, quartum librum composuisset et se etiam in balneis lotum cum filio[1]) scriptum reliquisset.

2. Aliis orationis partibus tribuenda sunt fragmenta haec:

I. Cic. de or. II 225 sq.: . . . *Quis est igitur qui non fateatur hoc lepore atque his facetiis non minus refutatum esse Brutum quam illis tragoediis quas egit eidem, quom casu in eadem causa efferretur anus Iunia. Pro di immortales! quae fuit illa, quantavis! Quam inexspectata! Quam repentina! Quom coniectis oculis, gestu omni et imminenti, summa gravitate et celeritate verborum*[2]): Brute, quid sedes? Quid illam anum patri nuntiare vis tuo: Quid illis omnibus, quorum imagines duci vides?

---

v. 3. *assedissemus* cdd] *assedimus* Bait. Kays., coll. Cic. de or. II 224; vide v. 14.

v. 10. *ego et M. filius* om. cdd; recte inser. Friedrich sec. Cic. orat. pro Cluentio 141; vide v. 2.

v. 17. *se* L] *si* M; *sic* e.

v. 23. *efferretur* vg] *ferretur* M; *cum funere ferretur* L.

---

1) De balneis a Bruto venditis cf. Cic. de or. II 223 in.: *Quam multa de balneis, quas nuper ille vendiderat, . . . dixit* et pro Cluent. 141: *Quodsi* (sc. Brutus pater) *potuisset honeste scribere se in balneis cum id aetatis fuisse, non praeterisset; eas se tamen ab eo balneas non ex libris patris, sed ex tabulis et ex censu quaerere*; cf. p. 52, 15 sqq.

2) De compositione fragmenti vide Norden l. c. p. 174 sq.

Quid maioribus tuis[1])? Quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberavit[2])? Quid te agere? Cui rei, cui gloriae, cui virtuti studere? Patrimonione augendo? At id non est nobilitatis. Sed fac esse: nihil superest; lubidines totum dissupaverunt. An iure civili? Est paternum. Sed dicet te, cum aedes venderes, ne in rutis quidem et caesis solium tibi paternum reliquisse. An rei militari? Is qui nunquam castra videris. An eloquentiae? Quae neque est in te et quidquid est vocis ac linguae omne in istum turpissimum calumniae quaestum contulisti! Tu lucem aspicere audes? Tu hos intuere? Tu in foro tu in urbe, tu in civium esse conspectu? Tu illam mortuam, tu imagines ipsas non perhorrescis? Quibus non modo imitandis, sed ne conlocandis quidem tibi locum ullum reliquisti.

II. Cic. de or. II 223 in.: . . . *atque illa brevia, quom ille diceret se sine causa sudare:* Minime[3]) enim, modo existi de balneis, *innumerabilia fuerunt.*

---

v. 7. *reliquisse* M] *recepisse* L et Norden, l. c. p. 174.
v. 7. *militari? is* corr. Friedrich] *militaris* M; *militari* o L.
v. 8. *neque* M] *nulla* L; *neque ulla* Klotz.
v. 11. *tu in foro* om. M; *tu in urbe* om. ML; add. O P² „alii Vat. cod. integri haec duo membra post *conspectu* alii ante *tibi* inserta habent, unde quae origo sit apparet“ adn. Friedrich I, 2 praef. XXIX. Equidem *tu in foro, tu in urbe* minime (cum Friedrichio) abicio cum causis rhetoricis commotus tum quod incertum auctorem ad C. Herennium hunc locum imitatum esse assentior Fr. Marxio (proleg. p. 116 sq.). (IV 13, 19): *tu in forum prodire, tu lucem conspicere, tu in horum conspectum venire conaris?*
v. 13. *conlocandis* L] *coniungendis* M; *intuendis* malit Friedrich.
v. 16. *mirum inquit* post *minime* add. L; receperunt Meyer (p. 310) et Piderit; *enim* om. L; *modo enim* O² mrg. *Minime enim* retinui secundum analogiam *non enim, nil enim, immo enim.* Cf. P. Langen, Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus, Leipzig 1880, p. 262 sqq.

---

[1]) Troch. tetrap. catal.

[2]) Cf. fr. III.

[3]) Sc. minime *sine causa sudas, Brute; modo enim existi de balneis;* — „diese aber enthielten ja eine sudatio oder ein sudatorium, *existi* zweideutig, insofern er sein Badehaus, das er veräußert (cf. p. 51 adn. 1), hatte verlassen müssen“: sic recte ad Ciceronis locum adnotat Piderit; longe aliter Friedrich (I 2, praef. XXIX).

*III. Cic. de or. II 242: *In re est item ridiculum, quod ex quadam depravata imitatione sumi solet ut idem Crassus:* Per tuam nobilitatem, per vestram familiam! *Quid aliud fuit, in quo contio rideret, nisi illa voltus et vocis imitatio?* Per tuas statuas! *vero quom dixit et extento bracchio paulum etiam de gestu addidit, vehementius risimus*[1]).

12. Oratio pro C. Sergio Orata contra Considium.

Annus incertus.

Argumentum optime exposuit Meyer sic (p. 314): C. Sergius Orata in fundo suo ad lacum Lucrinum aquam publicam in suum usum vertere coepit, unde Considio publicano, qui lacum locaverat, damnum exortum. Res in controversiam venit. Crassus Sergio aderat[2]), ambo familiares et uterque luxuria ac delicatissimo vitae genere celebris.

Val. Max. IX 1, 1: *C. Sergius Orata*[3]) . . . *aedificiis etiam spatiosis et excelsis deserta ad id tempus ora Lucrini lacus pressit, quo recentiore usu conchyliorum frueretur*[4]): *ubi* ⟨*dum*⟩ *se publicae aquae cupidius immergit cum Considio publicano iudicium nactus est. In quo L. Crassus adversus illum causam agens errare amicum suum Considium dixit, quod*

v. 17. *dum* dett. multi] om. LA.

---

1) Huic causae fragmentum tribui secutus hanc Pideriti adnotationem: Das . . . Beispiel . . . scheint in der Rede des Crassus pro Planco vorgekommen zu sein, zur Persiflierung des lächerlichen Ahnenstolzes seines Gegners (cf. de or. II 225, huius op. p. 52). Daher auch *per tuas statuas* mit Beziehung auf die eine Statue des L. Iunius Brutus, des Befreiers von der Tyrannenherrschaft (de illa statua cf. O. Richter, Topographie der Stadt Rom, Handbuch der Klass. Altert.-Wiss. III 3, 2 p. 127).

2) Muenzer (Pauly-Wiss. IV 912 s. v. Considius num. 1) Valerii Maximi loco qui sequitur commotus Considium a Crasso defensum esse coniecit. Sed quamquam locum (sc. *adversus illum*) sane ancipitem esse concedo, tamen et ex ipsis Crassi verbis et ex eo quod eundem Sergium iterum defendit et familiaritate cum eo coniunctus erat, Sergium Crassi clientem tum fuisse veri similius esse mihi videtur. Similiter iudicant Oette (p. 42 sq.) et Cima (p. 184).

3) August. de beat. vita 26 (= Cic. Hortensii fg. IV 3, 321 Muell.): *primus balneola suspendit, inclusit pisces. Fingamus aliquem talem qualem Tullius fuisse dicit Oratam* e. q. s.

4) Plin. n. h. IX 168.

putaret Oratam remotum a lacu cariturum ostreis: namque ea si inde petere non licuisset, in tegulis reperturum[1]).

13. Oratio pro C. Sergio Orata adversus M. Marium Gratidianum.

Paulo ante autumnum a. 91.

De argumento vide Antonii orationem pro M. Gratidiano, p. 26 sq.

Cic. de or. I 178 (Crassus loquitur): . . . *nuper quom ego C. Sergii Auratae contra hunc nostrum Antonium iudicio privato causam defenderem, nonne omnis nostra in iure versata defensiost? Quom enim M. Marius Gratidianus aedis Auratae vendidisset neque servire quandam earum aedium partem in mancipii lege dixisset, defendebamus, quicquid fuisset incommodi in mancipio, id si venditor scisset neque declarasset, praestare debere.* Cic. de off. III 67; vide p. 27.

14. Oratio pro Pisone.

Annus incertus.

Argumentum incertum. — In eadem causa testis extitisse videtur M. Aemilius Scaurus[2]).

Cic. de or. II 285: *Ab hoc vero Crasso nihil facetius; quom laesisset testis Silus Pisonem, quod se in eum audisse dixisset,*

---

[1]) Cf. Seneca, controv. V 5 (p. 277 K.): ⟨*alunt*⟩ (*om. M*) *in summis culminibus mentita nemora et navigabilium piscinarum freta* (similiter Cicero in Hortensio; vide IV 3, 322 M. ex Non. p. 216, 12 M.). De Sergii cognomine vide Macrob. III 15, 2: *eodem modo Licinios appelatos Murenas quo Sergius Orata cognominatus est, quod ei pisces qui auratae vocabantur, carissimi fuerint*; similiter Lentulus Lupus (cos. 156) cognomen accepisse videtur a lupo, pretioso pisce, cf. Cichorius, l. c. p. 232.

[2]) Cic. de or. II 265: . . . *ut ille Gallius olim testis in Pisonem, cum innumerabilem Magio praefecto pecuniam dixisset datam idque Scaurus tenuitate Magii redargueret: „Erras", inquit, „Scaure; ego enim Magium non conservasse dico sed tamquam nudus nuces legeret, in ventre abstulisse".* Quo in loco interpretando gravissime erravit Oette (p. 44 sq.), eumque secutus Petersen (p. 42 sqq.); nam ille scripsit: Magius quidam praefectus cum Pisone ita coniunctus fuisse videtur, ut si quid in Magium dictum esset, in Pisonem caderet; itaque conici posse puto Pisonem consulem vel praetorem Magium eius praefectum fuisse qui pecuniam Pisoni daret vel ipsi M. Aemilio Scauro. Ille enim particeps pecuniae fuisse videtur; res quae optime explicatur si Plinii

Potest fieri, *inquit*, Sile, ut ille unde te audisse dicis, iratus dixerit. *Annuit Silus.* Potest etiam, ut tu non recte intellexeris. *Id quoque toto capite adnuit, ut se Crasso daret.* Potest etiam fieri, *inquit*, ut omnino, quod te audisse dicis, nunquam audieris. *Hoc ita praeter exspectationem accidit, ut testem omnium risus obrueret.*

15. Testimonium quod dixit Crassus in causa M. Marcelli[1]).

Annus incertus.

Argumentum incertum.

Val. Max. VIII 5, 3: *L. quoque Crassus . . . cum vehementissimum testimonii fulmen in M. Marcellum reum iniecisset, impetu gravis, exitu vanus apparuit.*

? 16. Sententia, quam dixit Crassus in senatu.

Anno 92.

Cic. de leg. III 42: *Quod vero actoris iubeo esse fraudem, id totum dixi ex Crassi, sapientissimi hominis, sententia; quem est senatus secutus, quom decrevisset C. Claudio consule de Cn. Carbonis seditione referente, invito eo qui cum populo ageret, seditionem non posse fieri, quippe cui liceat concilium, simul atque intercessum turbarique coeptum sit, dimittere.*

De hoc loco egit Ziegler l. c. p. 4 sq. De Cn. Papirii Carbonis tr. pl. seditione nil constat; sed cum C. Claudius anno 92 consul esset, maximaque tum hic Crassus auctoritate uteretur,

---

v. 1. *ille* M] *is* ω et Wilkins.
v. 4. *fieri* om. M.
v. 5 sq. *testimonium risus obruerit* M.

---

verba huc referimus: n. h. XXXVI 116 (quo loco *Mariani* in *Magiani* perverse corrigit Oette secutus Langium). Reiciendam esse coniecturam Oettii apparet, quamquam cupidum pecuniae constat fuisse Scaurum (cf. de or. II 283). Immo Gallium gulam Magii illo dicto castigasse ex Ciceronis verbis elucet. (Cum Plinii loco velim conferas quae adnotavit F. Muenzer, Beiträge zur Quellenkritik der Naturgeschichte des Plinius, Berlin 1897, p. 330).

[1]) Estne idem atque M. Claudius Marcellus, qui a. 102 Marii consulis legatus fuit? cf. Pauly-Wiss. III 2760 num. 226.

ad Cn. Papirium Carbonem illum qui ter consul fuit (a. 85, 84, 82) et studiosissimus erat Marianorum, locum referendum esse quamquam de eius tribunatu nil constat verisimillimum videtur esse.

Incerta.

I. Cic. orat. 222: *Sin membratim volumus dicere insistimus atque cum opus est, ab isto cursu invidioso facile nos et saepe diiungimus. Sed nihil tam debet esse numerosum, quam hoc quod minime apparet et valet plurimum. Ex hoc genere illud est Crassi:* Missos faciant patronos; ipsi prodeant. *Nisi intervallo dixisset* ipsi prodeant, *sensisset profecto se fudisse senarium; omnino melius caderet: prodeant ipsi.*

II. a) Cic. orat. 223: Cur clandestinis consiliis nos oppugnant? Cur de perfugis nostris · copias comparant contra nos? . . . *ex duobus enim versibus, id est membris perfecta comprehensio est et in spondios cadit, et Crassus quidem sic plerumque dicebat, idque ipse genus dicendi maxime probo.* Repetit fragmentum Rufinus (rhett. lat. p. 579, 17 H; GL VI 571 K).

b) Quint. IX 4, 101: *Duo spondei non fere se iungi patiuntur, quae in versu quoque notabilis clausula est, nisi cum id fieri potest ex tribus quasi membris*: Cur de perfugis nostris copias comparat is contra nos? *una syllaba, duabus, una.*

v. 6. *atque* Heerdegen et Stangl] *idque* L; *itaque* Schuetz.
v. 21. *comparat is* vg.] an *comparatis?* (Skutsch).

Adnotatio ad pag. 38 v. 21.

Clausulae finis cum non concidit cum interpunctione, puncto supra lineam constituto (·) indicatur; confer K. Ziegleri editionem Firmici Materni *de errore profanarum religionum* (Lipsiae 1907). — Ceterum de clausularum apud oratores ante Ciceronem usu alio loco disseram.

Vita.

Natus sum Maximilianus Krueger Lubani in oppido Silesiae prid. Kal. Sext. anni 1886 patre Otto, matre Hedwig e gente Werner, quos ambos adhuc salvos esse summopere gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Per VI annos gymnasium Lubanense, per duos annos et III menses Glivitziense, per IX menses Vratislaviae gymnasium Elisabetanum frequentavi. Cum omnibus magistris qui me docuerunt tum *Hermanno Zimpel*, professori gymnasii Elisabetani, gratias ago maximas. Vere anni 1905 maturitatis testimonium assecutus Vratislaviae per quattuor annos studiis philologicis incubui.

Hi me docuerunt viri doctissimi: *Baumgartner, Cichorius, Drescher, Foerster, Freudenthal †, Hillebrandt, Hoenigswald, O. Hoffmann, Koch, Kuehnemann, Muther †, Norden, Sachs, Siebs, Skutsch, Stern, Wendland, Ziegler.*

Ad seminaria aditum mihi praebuerunt *Cichorius, Foerster, Hoenigswald, Koch, Siebs, Skutsch, Stern, Wendland.*

Quibus omnibus gratias ago maximas, imprimis vero *Francisco Skutsch* et *Conrado Cichorio* qui cum semper studia mea benigne foverunt tum in perficienda hac dissertatione opera et consilio me adiuvare non desierunt.

Theses.

1. Oratio quam anno 197 a M. Sergio Sila praetore habitam esse tradidit Plinius (n. h. VII 104 sq.), omnino habita non est.
2. L. Papirii Fregellani *oratio pro Fregellanis coloniisque Latinis* (cf. Cic. Brut. 170) fortasse anno 177 habita est.
3. Q. Servilius Caepio a T. Betutio Barro paulo post 100 videtur accusatus esse (Cic. Brut. 169, 206).
4. C. Titii suasio legis Fanniae (Macrob. III 16, 14 sq., III 13, 13) inter 130 et 122 videtur habita esse.
5. Caesaris *oratio pro Bithynis* apud Iuncum propraetorem anno 74 in Asia habita est. (Gell. V 13, 6; Iul. Rufin. p. 40, 24 H.)
6. M. Iunii Bruti *oratio de dictatura Pompei* et *oratio pro T. Annio Milone de nece Clodii* (Meyer, p. 446 sqq.) non habitae, sed declamationes incertis annis compositae et editae sunt.
7. Cic. de or. I 215 non ad Q. Caecilium Metellum Numidicum, sed ad Metellum Macedonicum spectat.
8. Dictum Ciceronis quod extat apud Quint. VI 3, 76, non ad C. Scribonium Curionem filium, sed patrem referendum est.
9. Cic. de leg. III 20 contra Baiterum codicum lectio *C. vero Gracchi* retinenda est.
10. Cic. de or. III 190 cum codicibus contra Friedrichium post *igitur* inserendum est *inquit Crassus.*